B. N. C.
FIRENZE
1 2 1
13

Digitized by Google

121. 13

Digitized by Google

121. 13

Digitized by Google

121. 1 3
I-1

DISSERTATIO PHILOLOGICO-CRITICA

DE

ROMANORVM SATIRA

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
D O M I N O

ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQVA

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT
D. XVIIII. CAL. FEB. A. R. S. CIↃ IↃ CC LVI.

PRAESES

M. IOANNES GERBERVS

RECTOR SCHOLAE GEDANENSIS PRIMARIAE DESIGNATVS, ET SOCIETATIS LATINAE IENENSIS
COLLEGA HONORARIVS

RESPONDENTE

HENRICO WOLFIO

Crumendico Bremenſi

SANCTIORIS DOCTRINAE ATQVE ELEGANTIORVM LITTERARVM CVLTORE ET SOC. LATINAE IEN.
COLLEGA.

IENAE, LITTERIS MARGGRAFIANIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRIS

PERILLVSTRIBVS PERMAGNIFICIS MAGNIFICIS MAXIMEQVE STRENVIS CONSVLTISSIMIS AMPLISSIMIS SPECTATISSIMIS

PERILLVSTRIS REIPVBLICAE GEDANENSIS

PATRIBVS CONSCRIPTIS

SYNDICO

DICASTERII VTRIVSQVE

AC

CENTVM VIRALIS COLLEGII

ADSESSORIBVS

MAECENATIBVS PATRONIS FAVTORIBVS

SVMMA QVA FIERI POTERIT PIETATE COLENDIS PROSEQVENDIS

Digitized by Google

IN PRIMIS

COLLEGII SCHOLARCHALIS

PERILLVSTRI PRAESIDI

PARITER ATQVE

ADSESSORIBVS RELIQVIS

FELICITATIS SVAE STATORIBVS

MVNIFICENTISSIMIS

ADMODVM

COLENDIS VENERANDIS

Digitized by Google

VIRI

PERILLVSTRES PERMAGNIFICI MAGNIFICI MAXIMEQVE STRENVI CONSVLTISSIMI AMPLISSIMI SPECTATISSIMI

MAECENATES AC PATRONI OPTIMI

QVVM *ingenui hominis ea ſit natura atque indoles,* VIRI, INSIGNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDI, *vt, ſi ſummis patronis gratias referre haud queat, eas tamen effuſe agendi, nullam plane praeterlabi ſinat occaſionem: mihi certe hoc officium tanto ſanctius debet eſſe ac ſollemnius, quanto magis illo perſoluendo vires meas impares eſſe intelligo. Ex quo enim, ante hos fere vndecim annos, Gedanum me contuli, tam magnis me cumulaſtis beneficiis, vt maiorem eorum partem*

Digitized by Google

neque dicendo conſequi; neque multo minus rite poſſim celebrare. Non modo inuſitata quadam munificentia me, ad quaevis praeclara ſubeunda mirifice excitaſtis, verum etiam ILLVSTRE ILLVD COLLEGIVM, *cui ſcholarum ſalus in altius promouenda, ſapienti ſane conſilio, tradita eſt, peractis in ſtadio, quod mihi erat emetiendum, quatuor annis, atque ad finem perductis ſtudiis meis academicis, rectoris munere me ornauit ampliſſimo. Quid tanta* VESTRA *beneuolentia dignum proferam? et qua tandem ratione* VOBIS *animum meum, maxime eadem commotum, potero explicare? Neſcirem ſane,* PATRONI OPTIMI, *neſcirem, ob eamque cauſſam valde lugerem, niſi inſignis* VESTRA *atque omnibus perſpecta benignitas ſpem mihi iniiceret, fore, vt ſummam meam erga* VOS *pietatem potius, quam quiduis aliud reſpiciatis. Cuius quidem vt publicum aliquod ac perenne exſtaret documentum, qualemcumque meam* de Romanorum ſatira *diſſertationem* VOBIS *omnibus, atque ſingulis; in primis vero* PERILLVSTRI DICTI COLLEGII PRAESIDI, CETERISQVE ADSESSORIBVS, VIRIS, MVNERVM SPLENDORE GRAVISSIMIS *ſacram eſſe volui. Conſtitueram quidem mecum, diſſertationem philologico-*

Digitized by Google

lologico exegeticam in philoſophorum exedram efferre, qua difficiliorem quemdam Iobi *locum explicarem, qui interpretibus iudaicis pariter ac chriſti nomen profitentibus non vno modo ſcopulos obiecit. Sed, quum ad interiora disciplinae exegeticae et linguarum, quas aiunt, orientalium penetralia mihi eſſet progrediendum, et praeterea muneris benigniſſime mihi oblati ratio ita ſit comparata, vt politiores litteras in primis me docere oporteat: relicto priori argumento, ad finem fere perducto, tale eligere malui, quod ad partes meas breui ſubeundas magis accommodatum eſſe videretur. Hoc exiguum ingenii mei monimentum* VOBIS, PATRONI OPTIMI, *iam ea, qua decet, pietate offero,* VOSQVE *maiorem in modum rogo, vt leuidenſe hocce munus beneuole excipiatis, meque ſummo* VESTRO *patrocinio et in poſterum ornare quam benigniſſime velitis. Ego vero, cui ſalus non tam cara eſt, quam pietas erit iucunda in agenda, et, ſi hoc fieri haud poſſet, habenda tamen gratia, ego, inquam, ſumma vota nuncupaturus, deum implorabo, vt tamdiu* VOS *ſuperſtites eſſe iubeat, quamdiu hominibus inter mortales vmquam licuit verſari. Non enim*

opus

Digitized by Google

opus eſſe iudico, vt felicitatem VOBIS *precer, quum immortalia* VESTRA *in rem publicam, in ſanctiorem coetum, atque in omnes denique litteras, merita fortunam omnibus numeris abſolutam vel vltro requirere videantur. Quodſi igitur prius diuina prouidentia datum* VOBIS *eſſe intellexerit, omnia precibus ſe conſequutum eſſe arbitrabitur*

TANTORVM VESTRORVM NOMINVM

Dabam
Ienae ipſis Idibus Ianuarii
A. R. S.
cIↃ IↃ CC LVI.

obſeruantiſſimus cultor
AVCTOR.

Digitized by Google

DISSERTATIO
PHILOLOGICO-CRITICA
DE
ROMANORVM SATIRA.

PROOEMIVM.

QVVM ante aliquod temporis ſpatium, laeta quadam occaſione excitatus, commentationem *de artis poeticae apud veteres Romanos ortu ac progreſſu* in publicam lucem eduxi: haud a me potui impetrare, quin publice profiterer, valde me iam diu deſideraſſe, vt quis in omne verſuum genus, in quo tandem Romani ingenii vim exercuerunt, ſic inquireret, vt *primo* eorum origenem, quae cum graecis communia, quae diuerſa habeant, oſtenderet; *deinde* ſcriptores in quacumque poeſeos parte excellentiſſimos percenſeret; *tum* vero omni ſtudio indica-

 ret,

Digitized by Google

ret, quis aliis et quibus in rebus antecellat, et huius generis alia. Fortaſſe ego quidem liberius animi ſententiam protuli, et tanto audacius huic operi me accingo, quanto magis haec pertexentem oportet in veterum cum graecorum, tum romanorum ſcriptis eſſe verſatum. Attamen, ne, quod ab aliis ingenue poſtulaui, ipſe plane detrectaſſe viderer, iam virium mearum, quas ſcio, quam ſint exiguae, faciam periculum, commentationem *de Romanorum Satira* publicae eruditorum ſubiecturus diſquiſitioni.

II.

QVAM vero vt prae aliis eligerem duobus me potiſſimum commotum vidi rationibus. Primo enim aetati aliquid dandum eſſe putaui, ita quidem, vt, quum in paullo ante excitata commentatione de ſaturninis pariter ac feſcenninis verſibus ſatis me egiſſe opinarer, nunc in primis ad ſatiram percenſendam me conferrem, quoniam, ſi illos exceperis, nulla poeſeos forma inueniri poſſit, quae maiori, quam ſatira, antiquitatis laude floreret. (*a*) Deinde ad qualecumque hocce opus exarandum maxime me excitauit ſummum illud Quiritum ſtudium, quo in hanc praeclaram artem incubuerunt. Namque ab antiquiſſimis temporibus, vsque ad eam aetatem, qua vna cum Romanorum gloria omnium fere diſciplinarum nomen euanuit, haud deerant homines, qui in ſatira ſcribenda poliendaque vitam conſumerent, atque eamdem in dies diesque redderent limatiorem.

III.

(*a*) conf. LIVIVS *lib. VII. c. 2. tom. II. p.* 473. editionis omnium elegantiſſimae a DRAKENBORCHIO adornatae, ANTONII THYSII *notae ad* VALERII MAXIMI *lib. II. c. 4. §. 4. p.* 162. et CASAVBONVS *lib. II. de romana ſatira p.* 334.

III.

SAGAX hicce populus probe cognitum habuit atque perſpectum, nihil magis ſatira ad hominum mores compeſcendos mitigandosque aptum eſſe atque idoneum, eamdemque tam diu reipublicae non contemnendam adferre vtilitatem, quamdiu ſuis circumſcripta maneat cancellis. Eſt enim generatim *iocoſa expoſitio ridiculi* (*b*) Mira arte hoc tangit vbi inuenit. Perſtringit res homine ingenuo indignas, neque cuiusquam honores, neque cenſum, neque quiduis aliud timet. Carpit hominum vitia, quae in ſinu quaſi ac praecordiis gerunt. Simulanti laruam detrahit, neque quemquam in aliena pelle deliteſcere patitur. Quae cum hominibus maxime ſint ingrata, fieri non poteſt, quin ſatiram ſcribere perquam ſit difficile. Quamuis enim multo ſit facilius homines vituperare, quam laudes eorum rectius exponere, quotus enim quisque eſt, qui merita alterius potius, quam eius ridiculas actiones animaduertat! magna tamen arte, magno labore opus eſt, vt ſatirae amarum illud, quod in fronte gerit, adimatur, quo dociles eamdem aures absque taedio poſſint percipere. Quod, quouſque praeſtitum ſit a romanis, ſatira hac probe conſiderata, luculenta ratione perſpiciemus.

 IIII.

(*b*) multa hic de definitione ſatirae in medium poſſem proferre, niſi ſcriptionis limites eſſent conſiderandi. Tacebo de ſesquipedali illa HEINSII *de Satira Hor. p.* 43. et adhuc longiori quam *D.* FR. RAPPOLT adfert *commentario in* HORATIVM *p.* 2. Id tantum innuam, viros doctos hac in re mirifice inter ſe diſſentire. Aliter enim finiunt concinnatores libelli, cui nomen eſt: der Geſellige; aliter *pictores morum;* aliter LISCOVIVS, alii aliter, quorum partim ſententias excitatas inuenies apud doctiſſimum M. IOAN. ANDR. GROSCHIVM libro eleganti, cui indidit nomen: die Regeln der Satire *c. I. p.* 139. *ſeq.*

IIII.

AD quam percenſendam dilucidiusque exponendam ſimul atque animum aduerto, ſtatim eius ſeſe mihi offert nomen, quod magnam ſemper altercandi dedit occaſionem, quum de illius ἐτυμῳ vetuſtiores pariter ac recentiores critici valde certarint et adhuc lis ſit ſub iudice. Quaeſitum enim eſt acriter, ſitne *ſatira* a graeco vocabulo orta, ideoque cum *y* exaranda, an a latino, ob eamque cauſſam per *i* ſcribenda, hanc aliis, aliis illam ſententiam arripientibus, ac cum aeſtu quodam grammatico defendentibus. Miratus ſum ſane, quo factum ſit, vt doctiſſimi quique homines circa hanc rem haererent, atque in primis GERARDVS IOANNES VOSSIVS, immortale illud nomen, diceret, ſe plane neſcire, cuinam ſe addictum eſſe profiteatur parti (*c*), quum, ſi cui alii, huic certe rei facili negotio lux poſſit adfundi. Quod quidem longe facilius procedet, ſi huius poeſeos fata, naturam ac conditionem penitius conſiderauerimus, quo huius litis diſcuſſionem merito poſſumus reiicere.

V.

QVODSI ad diuiſionem reſpicimus, duorum generum facit QVINCTILIANVS ſatiram romanam, et VARRONIANAM alteram, alteram LVCILIANAM eſſe contendit (*d*). Sed egregie fallitur vir alias incomparabilis, cuius iudicio TVRNEBVS, BVRMANNVS aliique decepti ſimili ratione a veritatis tramite aberrarunt. Hoc enim modo non ſolum diuerſas omittunt ſatirae formas, ſed etiam omnis hiſtoriae monimentis contradicunt. Cuius filum ſequuti nos quidem etiam duo modo huius poeſeos genera

(*c*) *inſtit. poetic. lib. III. c. 9. p. 142.*

(*d*) *inſtitut. orator. lib. X. c. 1. p.* 809. *edit.* BVRMANNI.

Digitized by Google

genera conſtituenda eſſe, eamque recte in VETEREM ac LVCILIANAM diſpeſci poſſe tutius adfirmamus. Attamen, tantum abeſt, vt illam VARRONIANAE modo ſatirae nomine inſigniri contendamus, vt potius iudicemus, eam diuerſis adhuc diſtinctam eſſe formis, et ſuo iure in VETVSTIOREM, ENNIANAM et denique MENIPPEAM ſiue VARRONIANAM rite diuidi, de quibus omnibus, quoad eius fieri poteſt, agemus.

SECTIO I.

DE SATIRA ANTIQVA

CAP. I.

DE SATIRA VETVSTIORI.

Diu apud Romanos iacuerunt litterarum ſtudia, quum gens bello praeliisque adſueta tanto minus ingenii vires excerceret, quanto magis fortitudinis gloria excellere dulce ipſi videbatur atque decorum. Qui ad rei publicae gubernacula ſedebant, hanc fere ſibi condiderant legem, vt, quousque liceret, imperii fines extenderent. Quam quidem ob cauſſam ne ciues a Martis ad Mineruae caſtra tranſirent, in libros (e), imo in homines, qui ingenuas artes alios docere conabantur (f) ſaeuire erant ſoliti. Nihilo tamen ſecius quaedam ſaltim diuinae poe-

 ſeos

(e) cuius ego quidem praeclarum exemplum adtuli *in dicta commentatione p. 4.*

(f) conf. SVETONIVS *de claris rhetoribus c. 1. p. 307. et 308.* itemque A GELLIVS *noctibus atticis lib. XV. c. 2. p. 879.* et GRONOVIORVM.

Digitized by Google

ſeos monimenta in antiquiſſimis temporibus e longinquo quaſi conſpicimus, quum veteris latii incolae ſaturninos ſubinde funderent verſus, et, vt ingenio quoddam acumen pararent feſcenninis ſe inuicem lacerarent.

II.

HOS excepit antiqua illa ſatira. Attamen vti ſic a natura eſt conſtitutum, vt quae aliquando in magnam exereſcere debeant molem parua antea ſint atque exigua; ſic etiam haecce ſatirae forma primis temporibus, rudis, impolita et haud quaquam fuit limata. Quum enim C. SVLPICIO PETICO (g) et C. LICINIO STOLONE COSS. hoc eſt anno ab vrbe condita CCCLXXXX. (h) peſtilentia magnus ciuium in dies dieſque periret numerus, non ſolum tertio tum lectiſternium habuerunt, verum etiam, quum hoc nihil efficerent, ludis ſcenicis inſtitutis, ſuperos placare conati ſunt. Adſciuerunt igitur ex Etruria ludiones, qui more ſuo ſine carmine vllo haud indecore ad tibicinis modos ſaltabant; ſic LIVIVS (i) rudia artis ſcenicae initia narrat, et, qui ex illius fonte hauſit VALERIVS MAXIMVS (k), quorum prior ſtatim ſubiungit: *Imitari deinde eos iuuentus ſimul inconditis, inter ſe iocularia fundentes, verſibus coepere; nec abſoni a voce motus erant. Accepta itaque res ſaepiusque vſurpando excitata vernaculis artificibus, quia hiſter tuſco verbo ludio vocabatur, nomen hiſtrionibus inditum: qui non ſicut ante ſeſcen-*

(g) minime T. SVLPICIO PETITO eſt legendum vt quidam LIVII prae ſe ferunt editiones. Noſtram enim lectionem probant lapides capitolini et DIODORVS SICVLVS *lib. XV. p.* 507. aliique complures. Conf. DRAKENBORCHII *adnotationes ad* LIVII *c. II. lib. VII. tom. II. p.* 471. *n.* 1.

(h) conf. DIONYSIVS PETAVIVS *doctrina temporum tom. II. p.* 588.

(i) *lib. VII. c.* 2. *§.* 1-5. *tom. II. p.* 471.

(k) *lib. II. c.* 4. *exempl.* 4.

feſcennino verſu ſimilem incompoſitum temere ac rudem alternis iaciebant; ſed impletas modis ſaturas, deſcripto iam ad tibicinam cantu, motuque congruenti peragebant (*l*). Tres gradus hic conſtitui videmus, quibus potiſſimum creuerit ſatira antiqua. Quorum quidem *primus* eſt, quum romana iuuentus ludiones etruricos in ſcena ſaltantes imitarentur; *ſecundus* quum rudi verſu ac feſcennino ſimili iocularia funderent, eumdemque alternis vicibus iacerent; *Tertius* denique eſt, quum ſatiras modis impletas agerent, ita tamen, vt cantus iam ad tibicinam deſcriberetur, motusque congruentes accederent.

III.

EX his luculenta ratione poteſt confici, ſatiram hanc vetuſtiorem ad ſcenicos pertinuiſſe ludos. Fueritne vero drama nec ne, eruditi mirifice inter ſe diſſentiunt. Prius defendit G. I. VOSSIVS (*m*); poſterius adfirmat ISAACVS CASAVBONVS additque, ne eius quidem nomen Romanis tunc fuiſſe notum (*n*). Recte quidem haec adduxit, vir poſt fata etiam celeberrimus, neque VOSSII ſententia ἁπλῶς poteſt adſumi. Quis enim ignorat in dramate vnam eamdemque praecipuam eſſe debere materiam, diuerſis

(*l*) hunc locum, qui corruptiſſimus eſſe videtur, ita excitavi, quemadmodum eumdem in elegantiſſima DRAKENBORCHII editione litteris conſignatum inueni. Hic ex ALDI ac GLARIANI ſententia poſt vocabulum: *EXCITATA* diſtinctionem facit majorem, a quo diſſentit GRVTERVS, qui minorem adjiciendam eſſe putauit. Sed eadem difficultas vtramque premit ſententiam. Nam, ſi modo, quoque velis diſtinxeris haud video, quomodo ſequentia cohaereant. Quorum quidem nexus luculenter adparet, ſi *ACCEPTA RE* auferendi non nominandi caſu legeris.
de corrupta lectione *verſu ſimilem* noſtram iam indicauimus ſententiam *dicta commentatione pag.* 14. *nota x.*

(*m*) *inſtit. poetic. lib. III. c.* 9 *p.* 133.

(*n*) *libro II. de romana ſatira p.* 238.

Digitized by Google

uerſis ἐπεισοδίοις diſtinctam, cuius partes graeci *protaſin*, *epitheſin* et *cataſtrophen*, quibus ARISTOTELES *chorum* addidit, (*o*) fecerunt. Haec omnia abſuerunt in ſatira antiqua, a qua multo deinde poſt (*p*) LIVIVS ANDRONICVS fabulam, ſiue, ſi graecum mauis drama (*q*) ſerere coepit. Attamen, ſi in generaliore ſignificatu, accepimus vocabulum, comune illud cum tragoediae, tum comoediae nomen (*r*), quod dictum eſt ἀπὸ τοῦ δρᾶν h. e. *agere* quia erat μεμηλικὸν ἐν τῷ δρᾶν *imitatio agendo peracta* (*s*), neminem credo eſſe dubitaturum, quin ſatira hoc modo dramatica poſſit nominari. Non ſolum enim Tuſci ludionis, quos imitata eſt romana iuuentus, omnia ſaltando motuque haud indecoro peragebant; verum etiam ſequenti tempore hiſtriones ad tibicinis modos rem congruentibus actionibus expreſſerunt.

IIII.

HAC quidem in re, vti et in multis aliis, quas ſubinde accurate adnotabimus, conuenit cum Graecorum ſatyrica poeſi, quum vtriusque actores in ſcenam prodirent et populo ſpectaculo eſſent atque oblectamento. Sunt tamen, in quibus a ſe inuicem quam maxime diſtare videntur.

(*o*) *libro de poetica C. XII. p.* 376. *ed.* IS. CASAVBONI, *Lugduni* CIↃ IↃ LXXXX, vbi partes ſic conſtituit, vt ſint πρόλογος, ἐπεισόδιον, ἔξοδος χορικόν. Mirifice haec conueniunt cum diſtinctione ſupra adlata. *Prologus* enim ex mente ARISTOTELIS reſpondet *protaſi*; *epiſodium epitheſi* atque *exodus cataſtrophae*, *conf.* G. I. VOSSIVS *l. exc. lib. II. c.* 13. §. 17. *p.* 77.

(*p*) viginti fere annis poſt ſatirae initium.

(*q*) dramata enim adpellantur latine fabulae, vt teſtatur DIOMEDES *lib. III. p.* 487. recenſente HELIA PVTSCHIO *Hanouiae typis Wechelianis* CIↃ IↃ C V.

(*r*) *teſte* DIOMEDE l. exc.

(*s*) inde factum, vt latine *fabulam agi* non referri ab actoribus dicamus.

Digitized by Google

tur. Etenim, ſi ad originem reſpexerimus, multo hanc illa antiquiorem eſſe confitebimur, quum eamdem tragoediam ipſam aetate antecellere dicat ARISTOTELES (t), qui: ἔτι δὲ τὸ μέγεθος, inquit ἐκ μικρῶν μύθων, καὶ λέξεως γελοίας, διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν, ὀψὲ ἀπεσεμνώθη. *Praeterea magnitudo* (tragoediae) *ex paruis fabulis et loquutione ridicula, propterea quod ex ſatyrico mutata eſt, tarde ſeueritatem (u) habuit.* Quam vetuſta autem ſit tragoedia ex eo poteſt intelligi, quod alii THEOMIM quemdam, qui cum ORESTE aetate fuit coniunctus, eius faciunt auctorem, quem MINOS atque AVLBAS imitati eſſe putantur (x), alii vero ipſum HOMERVM inuentorem arbitrantur (y). Quae

B ſi

(t) libro de poetica c. IIII. p. 375.

(u) ſic enim interpretandum puto, quum ANTONIVS RICOBONVS haud accurate granditatis nomen adhibeat.

(x) vid. BVLENGERVS *de theatro lib. I. c. 2. p. 830. Tom. VIIII.* GRAEVII *theſ. ant. rom.* STANLEIVS *in* AESCHYLVM *p. 700.* IOSVA BARNESIVS *tractatu de tragoedia veterum graecorum*, quam EVRIPIDIS editioni praepoſuit *§. III. p. 37.* PITISCVS *tomo III. antiq. rom* p. 621.

(y) ſed minus recte, vt mihi quidem videtur. Inducti ſunt in errorem loco PLATONIS, qui de HOMERO ſub initium *lib. X. de republica:* ἔοικε, inquit, τῶν καλῶν ἁπάντων τούτων τῶν τραγικῶν πρῶτος διδάσκαλός τε καὶ ἡγεμὼν γενέσθαι: *videtur ille praeclarorum illorum tragicorum primus magiſter ac dux fuiſſe.* Quid? ſcripſitne artis regulas, aut compoſuitne ipſe tragoedias? Prius nullus vmquam adfirmare audebit; quoad poſterius vero cogitamus, valde errat AELIVS DONATVS vel quisquis tandem eſt, cuius de tragoedia et comoedia libellus veteri TERENTII interpreti ſolet praemitti, quum HOMERVM his carminibus iliade exemplum praebuiſſe contendit. Ilias enim eſt carmen epicum, toto coelo a tragoedia diſtans, cum qua haud temere debet comparari. Inde tamen non eſt negandum, HOMERI opera omnibus dramatum ſcriptoribus quiduis exarandi largam obtuliſſe materiam, quo PLATO reſpexiſſe videtur. Quam quidem ob cauſſam AESCHYLVS ſua poemata eſſe dixit: μικρά τινα τεμάχια τῶν μεγάλων Ὁμήρου δείπνων et SOPHOCLES Φιλόμηρος

ſi minus eſſent firma et omnino vacillarent; ſi ne EPIGENES quidem SICYONIVS, SVIDA auctore (z), tragicorum primus fuiſſet, et ab hoc tandem decimo ſexto loco numerandus eſſet THESPIS: hic tamen, qui inſignem in ea laudem primus meruit, et inuentis ſcenis penſilibus, additoque vno hiſtrione eam arte paululum expoliuit (a), vixit SOLONIS aetate ac clarus extitit olymp. XXXXVI. ſiue, vt a SVIDA relatum legimus, fere circa olymp. LXI. (b) At, quocumque tandem modo res ſeſe habeat, longe tamen vetuſtior eſt ſatyrica poeſis. Antiquiſſimis enim temporibus homines, collectis in primis frugibus, curis ſoluti conuenerunt, et dies quosdam feſtos egerunt (c), in quibus, oblatis primitiis, deos et praeſertim BACCHVM canere erant ſoliti, quo ſimul in eius honorem vtribus vino plenis inſilierunt, quos vincentibus, tamquam virtutis praemium

ποιηρος et *Homerus tragicus* adpellatus eſt, quo nomine et inſigniri potuiſſet EVRIPIDES, qui plurium poematum materiam ex HOMERI libris ſibi ſumpſit elaborandam. conf. RAENESIVS d. l. §. 2. p. 30. et DANIEL HEINSIVS, *de tragoediae conſtitutione p.* 200. *ſeq* aliique complures.

(z) *lex tom. II. p.* 190. ed. *luculentiſſima* LVDOLPHI KVSTERI.

(a) quam ob cauſſam procul dubio factum eſt, vt HORATIVS *arte poetic. v.* 275. *p.* 619. ed. IOANNIS CRVCQVII Lugd. CIↃIↃLXXXIII THESPIDEM tragoediae inuentorem dicat. Eamque ob cauſſam QVINCTILIANVM *lib. X. inſt. orat. c. I. p.* 897. adfirmaſſe puto AESCHYLVM tragoedias primum in lucem protuliſſe, quia praeter alia cothurnos inueniſſe traditur. De THESPIDE vid. *G. I. Voſſius lib. II. inſt. poet. c.* 12. *p.* 84. FABRICIVS *bibl. graeca lib. II. c.* 16. *ſ.* 1. *p.* 600. REINESIVS *variarum lect. p.* 364. D. FR. RAPPOLT *comm. in Horat. p.* 1014. et ii, quos ſubinde excitat et laudat doctiſſimus. I. C. CRAMERVS ſodalis dilectiſſimus, *eleganti commentatione: de Theſpide haud dubie primo tragoediae inuentore p.* 3. *ſeq.*

(b) conf. VOSSIVS *de poetis graecis c. III. p.* 202.

(c) HORATIVS lib. II. ep. ad AVGVSTVM v. 139. ſeq. *p.* 591. aliique complures.

mium, deinde datos eſſe accepimus (*d*). Poſtea vero quam vinum largiter bibiſſent, atque hilari et ad iocandum parato eſſent animo, vitia ſibi inuicem obiecerunt, ita quidem, vt alius alium ciendi riſus gratia dicteriis laceſſeret. Hoc eſt verum initium; haec ſunt prima quaſi ſtamina, ex quibus ortum traxit ſatyrica poeſis, quam ideo IS. TETZES γεωργῶν καὶ εὐτελῶν ἀνθρώπων *agricolarum et hominum facili victu vtentium* inuentum eſſe contendit (*e*).

V.

DIV ſic iocabatur priſca mortalium gens; verum ſolius naturae ductu atque impulſu. Petebant ſe inuicem conuitiis αὐτοσχεδιαστικῶς prolatis, donec res poſt longum temporis interuallum ſenſim ſenſimque artis indueret ſpeciem. Eadem fere ratione apud Romanos initio nihil ſtudio elaboratum, nihil antea operoſius excogitatum in ſcenam proferebatur, ſed quidquid cuiquam ſub palato erat enatum, hoc vel alium pupugit, vel ſe ipſum ſalſe dictis laceſſitum defendit. Abunde nos id docet feſcenninorum, quos fundebant, verſuum indoles atque natura (*f*), quorum vſus et tunc non plane eſt ſublatus, quum longiores paullo adhiberent ſermones, ad tibicinem canerent et rem motu exprimere conarentur.

VI.

QVODSI iam ad ſcenas animum aduertimus, magnum inter eas interceſſiſſe diſcrimen intelligimus. In vetuſtiori enim ſatira nullo adparatu eae inſtructae fuiſſe videntur, quum teſte VALERIO MAXIMO (*g*) ad tempora

 vſque

(*d*) vid. praeter alios EVSTATHIVM *ad odyſſ.* Ξ *p.* 1769. *ed rom.*

(*e*) *prolegomenis in* LYCOPHRONIS *Caſſandram.*

(*f*) adi, ſi placet dictam meam commentationem. p. 12.

(*g*) lib. II. c. I.

vſque CLAVDII PVLCHRI earum tabulae ne pictura quidem eſſent ornatae. Id, quod longe aliter apud Graecos more fuit receptum. Licet enim primis temporibus ex arborum frondibus ſuperne conſertis conſtarent (*h*), tamen poſtea, quam ſingulis dramatum generibus ſuae conſtitutae eſſent ſcenae, ea, quae ſatyricis fabulis erat dicata, ſplendidam ſane nacta eſt formam. Diſtincta erat VITRVVIO auctore (*i*) arboribus (*k*) ſpeluncis, montibus, reliquisque rebus agreſtibus in topiarii ſpeciem efformatis. Quid? quod tanto naturam imitandi Graeci flagrabant ſtudio, vt ſolum virentis herbae glebis tegerent, quo ſcena non arte effecta; verum ipſa natura producta eſſe videretur. Id quod duobus locis ex EVRIPIDIS dramate ſatyrico, cui nomen eſt *Cyclops*, abunde poſſum comprobare. Primo quidem CYCLOPS in ſcenam productus

ὑπάγει

(*h*) vid OVIDIVS *de arte amandi I. vſ.* 105. PITISCVS *tom. III. p.* 348. GYRALDVS *d. l. lib. VI. p.* 333.

(*i*) *lib. V. c.* 8. conf. IS. CASAVBONVS *lib. I. de ſatyrica poeſi p.* 141. BARNESIVS *l. d.* §. 6. *p.* 39. RAPPOLTVS *d. l. p.* 1007. aliique complures.

(*k*) hanc ob cauſſam dramata Satyrica in veteri epigrammate dicuntur παίγνια ἀν' ὕλαν *luſus per ſiluam.* Quo etiam pertinere mihi videtur verſus HORATII 244. in arte poetica, vbi ſic fere canit:

Siluis deducti caueant, me iudice, fauni
ne -- cet.

Hos verſus ACRON ridicule ſane interpretatur, qui in mea HORATII editione, quae ignota fuit FABRICIO, et quae *Venetiis* CIↃ CCCC XXXXV. typis eſt exſcripta, eos ad poetas trahit, quippe, qui in ſiluis diſcere et agere eſſent ſoliti. Longe certe aliud intendiſſe videtur HORATIVS. Praecipit enim poetis, vt in dramate ſatyrico componendo caueant, ne ſatyri, quis enim neſcit hos a latinis faunos eſſe adpellatos! ne Satyri, inquam, in ſcenam ex arborum vmbra producti neque vrbano ioco, ſed agreſti, vterentur; neque obſcoeno ac turpi hominum aures obtunderent. Haec eſt mea ſententia, quae propius ab HORATII mente abeſſe mihi videtur, quam CRVCQVII aliorumque criticorum opiniones.

Digitized by Google

ὑπάγει, inquit, *μ᾽ ὁ χόρτος εὔφρων*
ἐπὶ κῶμον ἦρος ὥραις (*l*)
Inuitat me gramen laetificum
ad conuiuium verna tempeſtate.

Deinde quum, ebrius, ex Sileno quaeſiuiſſet, maneretne domi an exiret, et hic prius ſatius eſſe duxiſſet, reſpondit

καὶ μὲν λαχνᾶδες τοῦδας ἀνθηρᾶς χλόης (*m*)

vere (non, vt BARNESIVS vult, *et tamen.* Hoc enim miram huius reſponſionis elegantiam plane tolleret) *vere herbidum* (*eſt*) *ſolum floridi graminis.*

VII.

QVEMADMODVM vero ſcenae maxime erant diuerſae; ita etiam ludiones, qui in eas prodibant perquam ſibi erant diſſimiles. Apud Graecos quidem ſatyri (*n*) producebantur atque ſileni. Sic enim nominabantur ludiones, qui hos in ſcena referebant, vnde *σατυρίζειν* et (*o*)

 laco-

(*l*) v. 505. *tom.* II. *p.* 223. *edit.* BARNESII *Cantabrigiae* CIϽ IϽ C LXXXXIIII.

(*m*) v. 539. *ibid. p.* 224.

(*n*) quum hi mera ſint poetarum figmenta, dici vix poteſt, quam maxime ſcriptores in eorum ortu definiendo ac nomine rectius deducendo, diſcrepent. Quidam enim vt AELIANVS *lib. III. c.* 18. et HESYCHIVS voc: *δευκαλίδαι* ille matrem eorum Nymphas; hic patrem Deucalionem eſſe contendit. Alii Centauri, alii Sileni filios eſſe adfirmant, quum tamen eos a Silenis non niſi aetate differre certum ſit. Alii aliter, conf. CASAVBONVS *d. l. p.* 43. RAPPOLTVS *d. l. p.* 1046. aliique complures. Quidam vt CASAVBONVS *l. d. p.* 54. et VOSSIVS l. m. *lib. II. c.* 19. *p.* 59. nomen eorum ex Ebr. סתר *abſcondere* ſiue שעיר *pi-loſus* deducunt. AELIANVS *ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι* aliique aliter. Nos a graecorum *σαθυ* deductum eſſe credimus, quum capris ab inferiori parte perquam eſſent ſimiles, indeque capripedum nacti ſint nomen. conf. I. C. SCALIGER *lib. I. poet. c.* 12. *p.* 43.

(*o*) hi, vt *etymologici magni* ſcriptor teſtatur *γεγόνοτες* erant *τῶν σατύρων*

laconica lingua σατυρίζειν *ſatyrum agere, ludere* graecis ſcriptoribus admodum eſt ſollemne. Horum initio vnus, quum Romae ſaltim duo ſemper eſſent colluſores, adparuit, atque ſicinnida ſolitus eſt ſaltare (*). Vti enim κόρδαξ comica; ἐμμέλεια tragica; ita σικίννις proprie ſaltatio erat ſatyrica, vti ex HESYCHIO (*p*), EVRIPIDE (*q*), EVSTATHIO (*r*), SVIDA (*s*), atque in primis ex ATHENAEO (*t*) luculenter poteſt oſtendi, qui ἡ σατυρικὴ (ὄρχεσις) ὃ ἐλέγετο, inquit, σικίννις, *ſaltatio ſatyrica dicebatur ſicinnis*, quam vel ex eius ſententia barbarus quidam SICINNVS, cui, vt ex CLEMENTE ALEXANDRINO probat CASAVBONVS (*u*) THEMISTOCLES ſuos libros erudiendos tradiderat, inuenit, vel THERSIPPVS, quemadmodum ex SCAMONIS *libro I.* περὶ εὑρημάτων demonſtrare adnititur ATHENAEVS (*x*). Poſtea quidem plures vna in ſcenam prodibant, vt *ſatyrus imberbis, ſatyrus barba ornatus, ſatyrus caneſcens, Silenus* et *Papposilenus*, qui prioris auus eſſe credebatur, tamen in eo adhuc differebat a ſatira vetuſtiori, quod Graeci hiſtrione non vtebantur. Solo enim choro ſatyricam poeſin conſtitiſſe, ſatis notum eſt (*y*). VIII.

γερῶν *ſeniores inter Satyros.* Nomen eorum diuerſe ſcriptum inueni. Modo enim Σειληνὸς, modo Σιληνὸς modo Σιλληνὸς modo Σειλινὸς legitur. Quod inde factum puto, quoniam grammatici illud diuerſo modo deducunt et poetae vnam alteramue ſyllabam modo corripiunt modo producunt.

(*) vnde SVIDAS voc. σάτυρος per χορευτὴν, *ſaltatorem* explicat, tom. III. p. 290.

(*p*) *voc.* σικίννις *p.* 837. *ed.* SCHREVELII.

(*q*) *in Cyclope v.* 37.

(*r*) notis ad odyſſ. Σ p. 663.

(*s*) *lexic. tom III. p.* 313.

(*t*) lib I. p 20. ed. IS. CASAVBONI Lugd. CIϽIϽCLVII. conf. REINESIVS *d. l. lib. I. c.* 23. p. 100.

(*u*) *notis ad Athenaei lib. XIIII. p.* 952.

(*x*) *lib. XIIII. p.* 630. Alii aliter conf. LIL. GREG. GYRALDVS *l. exc. dial. I. p.* 14. VOSSIVS *d. l. lib. II. c.* 19. *p.* 101.

(*y*) *auctore* ATHENAEO *lib. XIIII. p.* 730. conf. IVL. POLLVX *lib. IIII. de ſatyricis perſonis* c. 18. et 19. p. 435. ed. TIBERII HEMSTERHVISII *Amſt.* CIϽIϽCCVI.

Digitized by Google

VIII.

HOS tum ſilenos tum ſatyros, quorum hi adparebant cornubus capiti adfixis, cauda, pellibus hircinis, ſine rugis toti corpori adſidentibus (z), galea pilis ſetisue horrente, Bacchi ſcuto et gracilibus capripedum ſatyrorum pedibus (a); illi vero tunica villoſa atque amiculo ex vario florum genere conſerto (b); hos, inquam, nullo vmquam tempore in ſatira romana productos eſſe adparet. Is enim valde erraret, omniaque humana miſceret, qui ea huc trahere vellet, quae apud DIONYSIVM *Halicarnaſſenſem* (c) relata legimus. Minime ego quidem nego, nec inficias ibo vmquam, hiſtriones aliquando Romae ſatyrorum vſos eſſe perſonis; hoc enim diſertis verbis teſtatur DIONYSIVS. Sed, num in ſatirica ſcena? neutiquam; verum in ſacrificiis quibusdam peragendis, et in primis in triumphis. Hic enim turba hominum, ſatyros ſilenosque referentium currum triumphalium poſt armatos ſaltatorum choros ſequuti ſunt, qui non modo ſicinnida ſaltarunt, verum etiam multa iocoſe ſalſeque dicta in imperatorem coniecerunt, quemadmodum in Caeſaris triumpho gallico, quo SVETONIO auctore (d) ſic clamaverunt hiſtriones:

Galliam Caeſar ſubegit, Nicomedes Caeſarem.
Ecce Caeſar nunc triumphat, qui ſubegit Galliam:
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Caeſarem.

Item

(z) ſic enim explicandum cenſeo vocabulum ἰζάνη, quo Pollux l. m. de eorum veſtitu et vſus. Nullibi alias exſtat, et commode deduci poteſt ἀπὸ τῦ ἰζάνειν. *ſubſidere* conf SEBERI IVNGERMANNI et KVHNII not. ad hunc locum.

(a) vt hos referrent ligneis cruribus, quae grallae et παυικὰ dicta ſunt, incedebant.

(b) de his omnibus pluribus legi poſſunt praeter POLLVCEM DIONYSIVS *Halicarnaſſenſis lib. VII. p.* 477. PITISCVS *tom. III. p.* 342. CASAVBONVS *d. l. p.* 67. *ſeq.*

(c) *loco modo excitato.*

(d) vita IVLII CAESARIS c. XXXXVIIII.

Item hoc modo:

Vrbani ſeruate vxores, moechum caluum adducimus.
Aurum in gallia effutuiſti, hic ſumpſiſti mutuum. (*e*)

VIIII.

QVOAD modum deinde cogitamus, quo vtraque olim in ſcenam eſt producta, eae aliqua ſaltim ex parte inter ſe congruere videntur. Satira quidem romana per viginti annos ſola, neque cuiquam dramati admixta, populo fuit oblectamento. Quum vero, his praeterlapſis, LIVIVS ANDRONICVS, in vrbem delatus, animos ſpectantium, quemadmodum VALERIVS MAXIMVS (*f*) loquitur, a ſatira ad fabularum argumenta tranſtuliſſet; conticuit quidem ad breue tempus: attamen romana iuuentus, priſtinis ludis ſcenicis adſueta, non ita multo poſt illius iocos reductos, atellaniſque fabulis conſertos, ANDRONICI operibus adiunxit, eosque, nouo *exodiorum* nomine, priori quaſi deleto, inſigniri maluit (*g*). Quod quidem inde factum eſſe putamus, quoniam, peractis ſeuerioribus fabulis, in ſcenam protrudi ſolebant, vt populi animum laetioribus quibusdam rebus, ioco nugisque demulcerent. Sic enim IVVENALIS ſcholiaſtes antiquus: *exodiarius*, inquit, *apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, vt quidquid lacrimarum atque triſtitiae coegiſſent ex tragicis adfectibus, huius ſpectaculi riſus detergeret* (*h*). Non difficile ſane eſt intellectu, quare exodia atellanis potiſſimum conſerta ſint fabulis. Hae enim *primo* ornatiores pariter ac ſplendidiores erant vetuſtiori illa ac rudi ſatira quum, perhibente id DIO-

MEDE

(*e*) *ibidem c. LI.*
(*f*) lib. II. c. 4. §. 4. p. 162.
(*g*) vt auctor eſt LIVIVS *lib. VII. c. 2. tom. II. p.* 476.
(*h*) notis ad ſatiram III. p. 124. ed. COELII SECVNDI CVRIONIS. *Baſileae* CIƆ IƆ LI.

MEDE (*i*), non quidem ſatyros, tamen oſcas perſonas, vt Maccum aliosque producerent. *Deinde* harum fabularum inuentores atque actores, Atella (*k*), oſca vrbe Romam acciti, quum longa conſuetudine atque exercitatione confirmati et quadam ſaltim arte politi eſſent, ad riſus vel etiam cachinnos ciendos valde erant idonei. Quid igitur mirum! ſi populus a more inſtitutoque maiorum, quaſi a recta via, ſenſim ſenſimque deflectens, ac mollioris vitae deliciis mirum in modum captus, ſatiras, hiſce fabulis inſertas, maiori cum voluptate, quam antea audiret, iſtisque ludionibus ſic eſſet deditus, vt eos neque tribu moueret, neque a ſtipendiis repelleret (*l*).

X.

SIC fere fata ſatyricae Graecorum poeſeos a quibuscumque nobis narrantur ſcriptoribus. Illi enim hac in re primum eumdem, quem Latini, tenuere modum. Poſtea vero, quam conuiciandi, qua ſcatebat, libido, multis diſplicuiſſet; poetae, omiſſis ſatyris, a Bacchi ad deorum heroumque aliorum laudes rectius exponendas ſe contulerunt. Attamen populus, qui, vt rideret, conuenerat, non poterat non admodum impatienter ferre, ſibi miſericordiam aliosque triſtiores adfectus excitari. Interpellauit igitur ludiones, in ſcena colloquentes, et, vt auctor eſt ZENOBIVS, (*m*) in ſpectaculis clara ſaepe voce clamavit: *ὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον nihil hoc ad Bacchum pertinet.* Hanc

(*i*) lib. III. p. 481. CASAVBONVS *l. m. lib. II. p.* 306. legit: *In atellana obſcoenae perſonae.* Sed male. Miror hominem, qui tot ſcriptorum locos corruptos emendauit, hoc inuerſo ſtilo non deleuiſſe, quum omni hiſtoriae contradicat. conf. LIL. GREG. GYRALDVS *l. m. dial. VI. p.* 238.

(*k*) quae nunc Auerſa vulgo nominatur.

(*l*) *Liuius d. l. p.* 478. VALERIVS MAXIMVS *lib. II. c. 4. §. 4. p.* 163. et A. THYSIVS, *notis ad hunc locum.*

(*m*) vt eius verba excitantur apud VOSSIVM *d. l. l. II. c. 19. p.* 99.

Google

itaque ob cauſſam, et, ne iisdem intereſſe deſineret, aut, ſub initium ſtatim tragoediae, ſedes vix occupatas rurſus relinqueret, ſatyrica poeſis ludis ſeuerioribus vel ſubiici vel interſeri coepit, vt mollior concio haberet, de quo inter triſtiores res effuſe laetaretur. Cuius quidem rei praeter HORATIVM (*n*) ac MARIVM VICTORINVM (*o*), DIOMEDES (*p*) teſtis eſt locupletiſſimus, qui: *ſatyra eſt apud graecos fabula*, inquit, *in qua item tragici poetae non reges aut heroas, ſed ſatyros induxerunt, ludendi cauſſa iocandique; ſimul vt ſpectator inter res tragicas ſeriasque, ſatyrorum quoque iocis et luſibus delectaretur.*

XI.

IAM ad ſcriptores, qui hac poeſi inclaruerunt, nobis eſſet progrediendum. Attamen, quum vetuſtior ſatira ſine praeuia meditatione temere ſit fuſa, nullum plane illius veſtigium poteſt reperiri. Aeternae enim tradita eſt oblivioni, poſtquam rudes eiusdem verſus in ore populi per aliquot dies eſſent verſati. Neque aliter comparatum erat cum exodiis. Haec etiam primo fuerunt αὐτοσχεδιαςικὰ, et licet veteres ea deinde paullo maiori ſtudio excolerent, eademque litteris interdum conſignarent; vti NONIVS MARCELLVS, diuerſis in locis, NONNII cuiusdam poetae exodium excitat; omnia tamen, quae olim forſan exſtiterunt, dira temporum iniuria dudum iam periiſſe, maxime nobis certe lugendum eſt.

XII.

LONGE e contraria parte meliorem ac illuſtriorem nacta eſt fortunam ſatyrica poeſis, quippe in qua effingenda, et ad artis regulas formanda poliendaque fulgen-

(*n*) *de arte poetica v.* 220. *ſeq. p.* 618. (*p*) *lib. III. p.* 488.
(*o*) *lib. II. p.* 2521.

gentiſſima Graeciae antiquioris lumina operam poſuerunt atque induſtriam. Primus, qui in ea ingenii vires exercuit PRATINAS PHLIASIVS fuiſſe dicitur, qui, quemadmodum a SVIDA *(p)* accepimus, triginta duas fabulas ſatyricas in publicam edidit lucem. Poſt hunc autem multo plures, vt AESCHYLVS, EVRIPIDES, SOPHOCLES, LYCOPHRON et PHRYNICHVS, quos, cum ATHENAEO, POLLVX atque alii, ſubinde laudant, in eiusdem cultura aetatem conſumpſerunt. Attamen, pro dolor! omnia fere ſplendidiſſima illuſtrium horum virorum monimenta deperdita ſunt atque deleta. Ex tot enim tantisque operibus vnicus hodie ſupereſt EVRIPIDIS *Cyclops*, qui, quum reliqua citius interirent, EVSTATHII iam aetate ſolus extitiſſe perhibetur. Sic enim praeclarus hicce ſcriptor, de ſatyrica poeſi loquens: *ἧς τὴν μεθόδον*, inquit, *παραδηλοῖ ὁ μέχρι νῦν εὑρισκόμενος εὐριπίδειος Κύκλωψ* (*q*) *cuius rationem, is, qui hodie adhuc exſtat*, EVRIPIDIS *Cyclops oſtendit*. Multa et forte haud iniucunda de eleganti hacce fabula in medium poſſemus proferre, niſi, quum hoc negotio nulla plane lux ſatirae poſſit adfundi, ſuperuacaneum eſſe duceremus.

CAP. II.

DE SATIRA ENNIANA.

IAM ad aliam ſatirae progredior formam, quam ab ENNIO nomen ſuum accepiſſe conſtat. Non eſt, quod vitam illuſtriſſimi huius poetae operoſius percenſere inſtituam, quum doctiſſimus KREIDENMANNVS (*r*), ſodalis

 dile-

(*p*) voc. *πρατίνας lex. tom. III. p.* 169. conf. I. A. FABRICIVS *bibl. graeca lib. II. c.* 19. *p.* 609 *ſeq.*

(*q*) *notis ad odyſſ.* ραψ Σ *p.* 673. *ed. Baſ.*

(*r*) *oratione de Ennio* cIↃIↃCCLIIII. in ſoc. lat. Jen. recitata.

dilectiſſimus eamdem, omnibus fere numeris abſolutam, in lucem ediderit. Vt vero de ſatirae huius aetate rectius conſtet, id tantum innuamus, natum eum eſſe *Rhudiis* anno olymp. centeſimae triceſimae quintae; vrbis vero decimo quarto ſupra quingenteſimum C. MAMILIO TVRRINO et Q. VALERIO FALTONE COSS. (*s*). Tempore belli punici ſecundi SCIPIONI AFRICANO innotuit, et a CATONE, prouectiori iam aetate, Romam eſt delatus, vbi, quum per plures annos vixiſſet, ſeptuagenario maior mortuus eſt (*t*) anno nempe ab vrbe condita CIƆLXXXIIII. PHILIPPO II. et CN. SERVILIO CAEPIONE COSS.

II.

IN multis ſane carminum generibus, quorum inſcriptiones legi poſſunt apud FABRICIVM, (*u*) diuini ingenii vires exercuit. In his etiam eius nominantur ſatirae. Quarum quidem quamvis ſex compoſuiſſet libros, tamen, licet hi non tam dura perpeſſi ſint fata, quam eius *protrepticum*, e quo vnicum tantum vocabulum, *pannibus* ab interitu eſt conſeruatum, tamen, inquam, perpaucae ex iisdem ad noſtram aetatem peruenerunt laciniae. Has, quantum ſcimus, omnium primo HIERONYMVS COLVMNA, *nobilis romanus*, ſeculo decimo ſexto, ſummo ſtudio collegit, ac polito ſane commentario ornauit (*).

IIIV.

(*s*) conf. CAROLVS SIGONIVS, *faſtis conſularibus* p. 130. THOMAS POPE-BLOVNT *cenſ. cel. auct.* p. 49. FVNCCIVS *chronologia* fol. 79. aliique complures.

(*t*) conf. CICERO *in Catone* c. 5. et CAROLVS SIGONIVS d.l. p. 175.

(*u*) *bibl. lat. tom. I. lib.* 4. *c.* 1. *p.* 664.

(*) licuit mihi tam eſſe felici, vt hac vti potuerim editione, albo coruo rariore. Typis eſt exſcripta Neapoli ab HORATIO SALVIANO a. r. s. CIƆ IƆLXXXX. pauca huius ſcriptionis exempla in lucem eſſe edita videntur. Namque pauci effluxerant anni, quum in Italia et quidem Neapoli caro venderentur pretio. De reliquis horum fragmentorum editionibus vid. laudatum KREIDENMANNVM *d. l. p.* 63.

III.

Insignis huius ſatirae χαρακτὴρ in eo poſitus eſſe videtur, quod vnaquaeque illarum diuerſis carminum exarata eſt generibus. Teſtatur id Diomedes (*x*), qui: *olim carmen,* inquit, *quod ex variis poematibus conſtabat, ſatira vocabatur, quales ſcripſerunt* Pacvvivs (*y*) *et* Ennivs. Non defuerunt inter Graecos, qui longe ante noſtri tempora hac diuerſorum verſuum miſcela vſi ſunt. Taceo enim Homervm, ſi modo Homeri eſt, in *margite* heroicis iambicos intertexuiſſe verſus, et id tantum indicaſſe ſufficiat, Chaeremonem quemdam compoſuiſſe carmen, Hypocentavri nomine celebre, quod Aristoteles *μικτὴν ῥαψῳδίαν ἐξ ἁπάντων τῶν μετρῶν* (*z*), *mixtam rapſodiam ex omnibus metris* adpellat. Horum exemplum, licet in diuerſa re, procul dubio ſequutus eſt Ennivs, (*a*) quum quamlibet ſatiram quibusuis diſtinctam redderet carminibus. Sic enim, qui libro III. legitur, verſus eſt heroicus, quo ita fere canit (*b*):

\- - - - teſteis ſunt
Latei campei, quos gerit Africa terra politos.

63. *ſeq.* Fvnccivm *de adoleſcentia linguae latinae p.* 80. et Fabricivm *bibl. lat. tom. I. lib.* 4. *c.* 1. *p.* 665.

(*x*) *lib. III. p.* 482.

(*y*) quodquidem niſi Diomedes adnotaſſet, plane neſciremus, Pacvvivm vllas vnquam ſatiras compoſuiſſe. Nam neque alibi excitantur, neque vllum earum fragmentum ad noſtram peruenit aetatem. Quare etiam nihil amplius de eo dicemus.

(*z*) *lib. de poetica c. I. p.* 734.

(*a*) non video, cur id neget Casavbonvs *l. m. lib. II. p.* 254. *ſeq.* Non enim verendum eſt, vt ſibi perſuaſiſſe videtur, ne quis ideo ſatiram graecae originis eſſe profiteatur, quum ſi quid ego iudico, maxime ſint a ſe inuicem disiunctae quaeſtiones: *ſitne ſatira apud graecos exculta*, et: an vſi ſint dicendi forma, quam ſatirarum quidam ſcriptor romanus, in iisdem concinnandis, adhibuerit. Illa omnino negari debet; haec non item.

(*b*) *p.* 296.

Neque tamen totum librum hoc genere concinnatum eſſe, conſtat, quum ex eodem hos *iambicos trimetros acatalecticos mixtos* excitatos legimus, quibus poeta alium ſic loquentem induxit:

Enni poeta ſalue, qui mortalibus
Verſus propinas flammeos medullitus (c)

Hoc modo multo adhuc plures inter ſe miſcuit verſus, quos ſingulos adduxiſſemus, niſi, quo minus id a nobis fieret, arctis huius ſcriptionis limitibus impediti eſſemus.

IIII.

NON raro deinde facetis dictionibus atque iocis eumdem vſum eſſe, eius fragmenta abunde indicant. Sed, quod commune temporum illorum erat vitium, hos ſaepe verborum luſu optime exprimi poſſe ſibi eſt viſus. Vt in illo:

Nam quei lepide poſtulat alterum fruſtrari
Quem fruſtratur, fruſtra eum dicit, fruſtra eſſe.
Nam ſeſe fruſtrari, quem fruſtra ſentit,
Qui fruſtratur, is fruſtra eſt, ſi non ille eſt fruſtra (d)

Neque vero minus acriter interdum homines perſtrinxit. Luculenter id, niſi alia ſuppeterent, ex iis iambis, quos ſegmento praecedenti adduximus, et quibus noſter hominibus flammeos verſus propinaſſe dicitur, poſſemus comprobare. Sed aliis adhuc argumentis, et longe quidem grauioribus, rem confirmare nobis eſt licitum. Exſtant enim ad hunc vſque diem ipſius ENNII verba, quibus certum quemdam aculeis quaſi pupugiſſe videtur, quum in eumdem hoc fere modo inuehitur:

Quippe ſine cura laetus lautus, quom aduenis
Inferteis maleis, et expedito brachio,

Ala-

(c) *loco modo excitat.* (d) *ex incerto ſatirarum libro p. 299.*

Digitized by Google

Alacer, celſus, lupino impetu exſpectans
Mox dum alterius obligurrias bona.
Quid cenſes domineis eſſe animi? Pro diuom fidem!
Ille triſtis cibum dum ſeruat, tu ridens voras (*e*).

Numquid his acrius dici potuiſſet? neutiquam ego credo. Tam enim aperte increpat, et tam mordaci dicendi genere vtitur, vt hoc ipſo etiam ſatirae leges perrupiſſe cenſendus ſit. De quo tamen plura dicendi infra amplam ſane nanciſcemur occaſionem.

V.

Ex his iam verſibus, quos modo in medium protulimus, quadam ratione intelligi poſſe, credo, ennii ſcribendi rationem, vti in aliis, ſic etiam in ſatirarum libris, duram eſſe atque impeditam, eiuſque ſcripta multis archaiſmis ſcatere (*f*). In quo poſteriori, vt ſibi eum ad imitandum proponeret, nemini ſuaderem. Nobis enim, quos miram aureae aetatis elegantiam exprimere decet, ennivm quidem ſicut ſacros vetuſtatis lucos, vt cum qvinctiliano (*g*) loquar, adorare, tamen cum eo fauniſque ac aboriginibus loqui, minime licet (*h*). Ad prius quod adtinet, aetati aliquid dandum eſſe cenſeo (*i*). Ille enim ſtilus, vt inquit MA-

(*e*) *lib. VI. p.* 298.

(*f*) de ſtilo eius, praeter alios, vide fvnccivm l. m *p.* 50. Antiquas eius loquutiones ſtudio collegit eilhardvs lvbinvs *in antiquario Amſt.* cIↄIↄLXXXXIIII. de nouis vero, quae ſubinde excogitauit, vocabulis vid. cel. reimannvm *introd. in hiſt. voc. ling. lat. p.* 13

(*g*) *d. l. lib. X. c. I. p.* 905.

(*h*) ennii tamen non omnia ſunt rejicienda. Saepe cum eo loquitur cicero, et qui, quanti eum virgilivs fecerit, ſcire cupit, adeat bern. philippinvm, qui in *opuſculis p.* 724. ea operoſius collegit, in quibus ennivm imitatus eſſe videtur.

(*i*) de aetatis huius ratione vid. inchofferi *hiſt. ſacr. latinitat. lib. I. c. 2. p.* 17. *ſeq.* et obberti gifanii diſſ. *de periodis ling. lat.* p. 173. quae inuenitur in retelii *ſcriptoribus de elegantiori lat. comparanda Amſt.* cIↄIↄCCXIII.

Digitized by Google

MACROBIVS, (*k*) auribus ſolus tunc placebat, et poſterior aetas diu laborauit, vt redderet molliorem. Sed haec hactenus.

CAP. III.

DE SATIRA VARRONIANA.

ENNII auctoritate fretus, et quiduis audendi poteſtate mirum in modum excitatus, nouum ſatirarum genus excogitauit M. TERENTIVS VARRO, illuſtre illud, ac perenne latii decus. Vlterius enim in iisdem effingendis eſt progreſſus, et, quum poetarum pater diuerſas tantummodo verſuum formas miſcuiſſet, ſolutae orationi metro adſtrictam intertexere haud dubitauit. Id, quod non obſcure indicat QVINCTILIANVS, qui: *alterum illud eſt et prius ſatirae genus*, inquit, *quod non ſola carminum varietate mixtum condidit* TERENTIVS VARRO, *vir Romanorum eruditiſſimus.* (*l*).

II.

IN quo quidem opere perficiendo nullius ſane premere potuit veſtigia. Licet enim ſatiras ſuas, quas alii cynicas

(*k*) *ſaturn. lib. HII. c. 3. p. 546. Lugduni cIↃ IↃ C LXX. ab* ELSEV.

(*l*) *d. l. lib. X. c. 1. p. 910.* Dicit: *alterum illud eſt et prius ſatirae genus*, quum paullo ante nempe *p.* 908. ſatirae Lucilianae mentionem feciſſet. Non ignorum ipſi eſſe potuit, VARRONEM ad minimum vno et triginta annis LVCILIO eſſe natu minorem. Neceſſe igitur eſt, vt ad id reſpexerit, quod VARRO ex vetuſtiori ENNII ſcribendi ratione nouam concinnandi arripuerit occaſionem, quum e contraria parte LVCILIVS longe alia incederet via. Hoc etiam nos potiſſimum mouit, vt hic praeſertim *de Satira Varroniana* ageremus.

Digitized by Google

cynicas, ipſe menippeas (*m*) nominauerit, et apud CICERONEM (*n*) diſerte ſit profeſſus: ſe MENIPPVM eſſe imitatum; tamen, vt eius verba cautius explicemus, res ipſa videtur requirere. Namque, qui ſibi perſuaderet MENIPPVM primum, aut ſaltim quemdam huius ſatirae fuiſſe ſcriptorem, in ſummo ſane errore atque antiquarum rerum ignoratione quam maxime verſaretur. Quod igitur VALERIO PROBO (*o*) perquam ceteroquin erudito grammatico, accidiſſe, valde miramur.

III.

INGENVE quidem eſt fatendum, nos deperditis iam omnibus MENIPPI libris, difficili ſane negotio, res haſce, tenebris quaſi circumfuſas, clariori luci poſſe exponere. Sed, non omnibus nos deſtitutos eſſe adminiculis temere credas, quum antiquiſſimi ſcriptores ſerui huius, cynicae ſectae addicti (*p*), monimenta ſubinde ſoleant excitare. In his vero, quotquot ab ATHENAEO et DIOGENE LAERTIO adducta eſſe inueni, nullum plane adparet, quod ſatirae nomine olim fuiſſet diſtinctum. Deinde etiam maxime diuerſa fuit vtriusque ſcribendi ratio. LVCIANVS enim dialogo, qui Νεκυομαντία inſcribitur, (*q*) MENIPPVM inducit animi ſenſa, non ſuis, ſed tragicorum (*r*) imo

D inter-

(*m*) A. GELLIVS *lib. II. c.* 18. *p.* 160. MACROBIVS *ſaturn. lib. I. c. XI. p.* 240. et CHRI. *notis ad* HORAT. *ſat. I. lib. I.*

(*n*) *quaeſt. academic. lib. I.*

(*o*) *notis in eclogam* VIRGILII ſextam.

(*p*) ita enim eum deſcribit LVCIANVS *dialogo cum* POLLVCE *tom. I. p.* 266. *nitidiſſimae edit., quam bibliopolae Amſtelodamenſes cum notis doctiſſimorum quorumcumque virorum* cIↄ Iↄ CLXXXVII. *in lucem ediderunt*. conf. MACROBIVS *l. modo adducto.*

(*q*) *d. l. p.* 324. *ſeq.*

(*r*) ſic enim, vt hoc vnicum adferam, vix Plutonis regnum ingreſſus, his ex EVRIPEDIS *Hecuba* deprom-ptis verſibus loquutus eſſe dicitur

ὦ χαῖρε μέλαθρον προπύλα θ᾽ ἑστίας ἐμῆς
ὡς ἄσμενος σ᾽ ἐσεῖδον ἐς φάος μολών

Salue

interdum HOMERI verſibus, hinc inde decerptis, patefacientem. Non eſt dubium, quin excellens hicce vir, atque acerrimo ingenio praeditus, hiice ejus quiduis conſignandi modum falſe perſtringere ſecum conſtituerit, quod, niſi omnia etiam tam plana eſſent ac aperta, re ipſa tamen admoniti crederemus, quum quaeuis politior aetas centonibus loquentem debeat carpere. Cuius vitii nulla, et ne vnica quidem nota in VARRONE adparet. Bene enim perſpexit, non omnia faceta eſſe, quae ridicula ſunt, et haec in primis digna eſſe, quae omnium irriſione ludantur. Neutiquam igitur centonibus vſus, longe aliter rem inſtituit, quum verſus quidem, ſed tales, quos eleganter ipſe compoſuerat, ſolutae orationi paſſim ſubiicere ſoleret.

IIII.

HANC miram rerum permiſtionem vtilem pariter atque ad negotium ſuum valde accommodatam eſſe arbitrabatur. Obſcure id oſtendit apud CICERONEM, vbi, poſtquam ingenue erat profeſſus, ſe numquam philoſophiam ſuis lucubrationibus illuſtrandam ſibi ſumpſiſſe: *et tamen*, inquit, *in illis veteribus noſtris, quae* MENIPPVM *imitati non interpretati, quadam hilaritate conſperſimus, multa admiſta ex intima philoſophia, multa dialectice dicta: quae, quo facilius minus docti intelligerent, iucunditate quadam ad legendum inuitati, in laudationibus, in ipſis antiquitatum prooemiis, philoſophiae ſcribere voluimus, ſi modo conſequuti ſumus* (*s*). Recte quidem ſenſit vir omnium Quiritum longe doctiſſimus. Etenim, quum philoſophiae praecepta rudiori populo notiora reddere vellet condimentis quibusdam omnino opus erat, vt Roma-

Salue atrium domusque veſtibulum meae : vt te lubens adſpicio luci redditus.

(*s*) *quaeſt. acad. lib. I.*

Romani ad ea legenda adlicerentur. Callida igitur ratione nouo ſcribendi genere vſus eſt, quotus enim quisque rei nouitate non mirifice tenetur! Sed, multo ſapientiori adhuc conſilio, vt ſcripta haec diurna nocturnaque verſarent manu, iocos ipſis miſcuit atque miram hilaritatem. In quo quidem, ſi qua ſtudiorum ſocietas ac ſimilitudo inter MENIPPVM et VARRONEM concedi debeat, hunc illum ſedulo expreſſiſſe, neminem in dubium credo eſſe vocaturum (*t*).

V.

QVEMADMODVM vero quam plurimos conſcripſerat libellos, ita quidem, vt ipſe duodecimam annorum hebdomadem, hoc eſt, octauum & ſeptuageſimum annum ingreſſus, apud GELLIVM (*u*) diceret: ſe ſeptuaginta hebdomades librorum, h. e. CCCCLXXXX. libros conſcripſiſſe: ſic etiam magnam ſatirarum vim in publicam lucem eduxit, quarum inſcriptiones iunctim nobis exhibet

 FA-

(*t*) hunc enim in eo mire excelluiſſe, non ex vno LVCIANI loco adparet. DIOGENES l. m. de eo dicit: γελᾶ δὲ ἀεὶ, καὶ τὰ πολλὰ τοὺς ἀλαζόνας τούτους φιλοσόφους ἐπισκώπτει· *ridet autem ſemper, ac plerumque arrogantes iſtos philoſophos acriter perſtringit.* Mira interdum arte iisdem vſus eſt, vt ex *dialogo* δὶς κατηγορούμενος *tom. II. p.* 236. elucet. Interdum tamen mordacior erat eius dictio, quam quod eam ferre poſſet quisquam. Itaque CROESVS nomine mortuorum apud eumdem LVCIANVM, *dialogo*, cui nomen eſt *Plato tom. I. p.* 261. coram Plutone dixit, *ſe* MENIPPVM, *canem illum accolam haud ferre poſſe. Itaque aut illum alibi collocaret; aut ſe alio eſſe commigraturos, quoniam ille omnes irrideat.* conf. dialogus CHARONTIS et MENIPPI tom. I. p. 309.

(*u*) *lib. III c.* 10. *in fine.* conf. I. N. FVNCCIVS *tract. de virili ling. lat. aet. p.* 310. et I. A. FABRICIVS *bibl. lat. t. I. lib. I. c.* 7. *p.* 77. vnde a Cicerone homo πολυγραφώτατος dictus eſt, *ep. lib. XIII ad* ATTICVM *ep.* 4.

Digitized by Google

FABRICIVS (*x*). At, praeter has, tantae molis perpaucae tantum particulae ſuperſunt. Ita tempus omnia corrupit, et, quod omnino eſt dolendum, praecipiti quaſi curſu obliuione ſempiterna deleuit. Magnam enim fecimus iacturam, quum de tanto viro, qui ipſe librum *de ſatirarum compoſitione* conſcripſerat, id vero me docuit NONIVS MARCELLVS (*y*), nihil niſi ingenio perfectum, ſtudio atque induſtria elaboratum, potuiſſet exſpectari.

VI.

QVANTVM ex his, quae ſuperſunt, perſpicere poſſumus, miram in eas contuliſſe videtur doctrinae copiam. Modo enim, ſi augurari licet, abſtruſioris philoſophiae penetralia aperuit; modo de officio, virtute, moribus ac vitiis largam diſſerendi arripuit occaſionem, et hac ipſa diverſitate ſingulas interdum illuſtrauit ſatiras. Temere quidem is ageret, qui hoc vltimum ex fruſtis hiſce conficere vellet ac colligere, quae nunc, extra ordinem rapta, quiduis aliud nobis videri debent, ac re vera eſſent, ſi ea telae adhuc intertexta conſpiceremus. Nihilo tamen ſecius, aliquo ſaltim modo, hoc probare poterimus, ſi inſcriptiones, quarum duas, vt eruditi norunt, vnicuique praepoſuit VARRO, paullo accuratius reſpexerimus. Hae enim ſaepius ſaepiusque quam diuerſiſſimae eſſe intelliguntur. Sic alia inſcribitur: κενοδοξία, *inanis gloriae ſtudium*, et περὶ Φθονῦ *de inuidia* (*z*); alia: ἔχω σε, *habeo te* et περὶ τύχης *de fortuna* vel Νόμοι *leges* (*a*). Ego certe non

(*x*) *l. m. p.* 88. *ſeq.*

(*y*) *c. I voc* PARECTATI *p.* 521. *in collect. auct. lat. ling. a* DIONYSIO GOTHOFREDO, *edita Geneuae* clɔ Iɔ CXXII.

(*z*) *conf.* M. TERENTII VARRONIS *opera omnia cum notis* IOSEPHI SCALIGERI, *aliorumque. Durtrechti* clɔ Iɔ C XVIIII. *ex off. Io. Berewout p.* 113.

(*a*) *loco memorato p.* 105.

non video, quo modo haec tanto inter ſe connexa ſint vinculo, vt vnius eiusdemque libri materiam nobis vna ante oculos ponere valeant. Quare haud vane me adfirmare poſſe credo, aut VARRONEM ea, quae natura disiuncta ſunt ac diverſa, ſine ratione coniunxiſſe, dicendum eſſe; aut illum abunde eo voluiſſe indicare, quantas res maxime, a ſe inuicem ſeiunctas, vno volumine comprehenderit (*b*). Prius nemo adfirmabit, qui illuſtris huius ſcriptoris opera, vel ſummo digito, attigit; poſterius vero extra omnem dubitationem poſitum eſſe mihi quidem videtur.

VII.

MINIME praeterea cothurnis incedit, ſed ſtilo, qui ſatirae ſcriptorem omnino decet, pedeſtri ſemper vtitur, cui, niſi graeca ſaepius, ſine vlla neceſſitatis ſpecie, admiſcuiſſet (*c*), hac parte omni laude eſſet maior. Iocos, vt ſupra iam adnotauimus, ſubinde ſubtexuit; ſed liberales, et ab omni turpitudine atque obſcoenitate quam maxime remotos. In quo quidem longe ipſo inferior eſt T. PETRONIVS. Hic nequitiarum pariter atque elegantiae arbiter, qui in NERONIS aetatem incidit (*d*), etiam vires ſuas in hoc opere poliendo exercuit. Quum enim huic Caeſari, qui nihil antea amoenum putauit, niſi quod noſter probaſſet, a quibusdam inuiſus eſſet redditus, praeter deperditos ſui temporis mores, eius in primis flagitia ſub nomine exoleto-

(*b*) alibi tamen duo vocabula ingenii potius oſtendendi, quam diuerſitatis indicandae gratia adpoſuiſſe videtur, vt ibi, vbi haec coniungit: *columna Herculis*, et περὶ δόξης p. 107. *eſt modus matulae*, et περὶ μέθης de *vinolentia* p. 98. cet.

(*c*) *conf. p.* 82, 83, 90. *ſeq.*

(*d*) de cuius aetate, quam diuerſe ſentiant eruditi, docere te poteſt *ſumme vener.* WALCHIVS, *patronus haud ſatis colendus hiſt. critica l. lat. c. I. p.* 74.

letorum feminarumque, breui moriturus, ſatira carpſit, et illam, quam ipſe ſatiricon adpellauit (*e*) ei obſignatam miſit (*f*). Stilus, in quo natiuus quidam, et non adſcitus color adparet, adeo eſt nitidus atque elegans, vt quorumcumque criticorum plauſum meritus ſit. Admodum etiam felix eſt, quod Graeci τὸ πρέπον nominare ſolent, in cuiusque hominis moribus rectius exprimendis (*g*). Sed, licet hac in re latium gloria haud tulerit clariorem, tamen, quam ſibi pepererat laudem, loquutione nimis latina, et ſtili turpitudine, fere obruit. Ita enim foede inceſtas, execrabiles et nefandas hominum mulierumque libidines depinxit, vt flagitia horrenda non minori flagitio luci expoſuiſſe dicendus ſit, et ad eius lectionem quemlibet mente caſtum rubore ſuffundi oporteat (*h*). Optarem igitur cum FRANCISCO VAVASSORE (*) *vt oratio eius aut formoſa minus, aut magis pudica eſſet.* Vtroque enim modo

(*e*) rationem huius adpellationis vide apud CASAVBONVM *l. m p.* 326. et apud FVNCCIVM *de imminente lat. ling. ſenectute c. III. §.* 56. *p.* 158. conf. GEORGII ERHARDI FRANCI s. CASPARIS LVNDORPII *Symbolae in Petronium p.* 522. maxima praeterea eius pars interiit et quae de eo habemus mutila, quae dam ſunt fragmenta, quorum editiones et fata vide apud MORHOFIVM *polyb. litt. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 12. *§.* 10. *p.* 884. *ſeq.* ed III. conf. FVNCCIVS *d. l. §.* 57. *p.* 158. *ſeq.* et FABRICIVS *l. m. lib. II. c.* 9. *p.* 385. *ſeq.*

(*f*) *vid.* TACITVS *annal. lib. XVI. c.* 17. *p.*

(*g*) quodſi igitur quaedam apud eundem occurrunt, quae ipſi propria ſunt, et ſequioris aetatis ſcriptorem indicare videntur, hoc laudi potius ipſi duci, quam vitio verti debere mihi perſuadeo. Nam coqui, ancillae, famuli, nautae et id genus alii, quos ſubinde inducit, non poſſunt tam caſte et pure loqui, quam CICERO, conſul ille romanus. Cuius ſi ipſis adfinxiſſet ſermonem, e contraria parte omnino notari mereretur.

(*h*) quare miror, ſi iam ad hiſtoriam non reſpicere velim, quosdam PETRONIVM *Bononienſem illum ſeculo V. praeſulem*, ac inſigni vitae ſanctitate clariſſimum, huius ſatirae auctorem feciſſe.

(*) *libro de dictione ludicra p.* 252.

modo futurum eſſe crederem, vt neque tantopere placeret legentibus, neque horum mores ita corrumperet (*i*).

VIII.

AB his prope abeſt, PETRONIO aetate fere aequalis, LVCIVS ANNAEVS SENECA *philoſophus*, qui, quum a natura ad ridendum factus quaſi ac initiatus eſſet, haud vanam ſibi acquiſiuit gloriam vno eodemque perexiguae molis libello, quem in CLAVDII mortem exarauit, a quo antea inſtinctu MESSALINAE, impuriſſimae feminae, in exilium erat miſſus (*k*). Ἀποκολοκύντωσις eſt nomen, feſtiue ſane excogitatum, quod huic operi indidit (*l*) quo lepide indicare videtur, Claudium, ex cucurbita, cui tota vita ſtupore et fatuitate perquam fuerat ſimilis, in deum eſſe mutatum. Non ſolum vero de morte ipſius agit, ſed totam eius vitam acriter perſtringit. Fictiones, quibus vtitur et quarum συνόψιν nobis ante oculos ponit. LIBERTVS FROMONDVS (*m*) mira arte excogitatae ſunt. Dictio praeterea vbique feſtiua, lepida, multo ſale conſperſa, et claris ornata eſt ſententiis Sed licet hac in re, neque VARRONI; neque PETRONIO minor poſſit iudicari; tamen non deſunt, quibus ab iis quam maxime diuerſus eſſe videtur. Vt enim taceam, eum, praeter prioris dicendi rationem, MENIPPVM etiam referre, quum aliorum et in primis

(*i*) qui plura de eo indicia legere cupit, adeat *c. I. proleg. p.* 1. *ſeq. editionis Francofurt ex offic.* WECHELIANA *clɔ Iɔ CXXI.* vbi cum veterum, tum recentiorum ſententiae adferuntur.

(*k*) exſtat hic libellus *tom. II. operum p.* 686. *praeſtantiſſimae edit.* ELSEVIRIANAE. *Amſtel clɔ Iɔ CLXXII.*

(*l*) docuit id nos DIO lib. XX. in fine vitae Claudii, quum BEATVS RHENANVS, qui illud primus edidiſſe dicitur *ludum de morte Claudii Caeſaris* adpellauit.

(*m*) *praef. ad notas in* ἀποκολοκύντωσιν *p.* 592. *ed. nom.*

primis graecorum verſus dictioneſque ſaepius adhibeat (o), non vbique caſtus eſt ac purus (p), et, vt cum QVINCTILIANO loquar (q), dulcibus abundat vitiis.

VIIII.

RESTANT adhuc alii, de quibus vel aliquo ſaltim modo hic diſſerendi locus eſſet. Inter hos primo referri debet L. APVLEIVS, tempore ANTONINORVM clarus, quem MACROBIVS (r) PETRONIO ideo iunxiſſe videtur, quoniam in vndecim *μεταμορφώσεως* ſeu *fabularum Mileſiarum* ſiue *de aſino* libris aliquid ei ſimile habet (s) Deinde MARTIANVS MINEVS FELIX CAPELLA ſatiricon nouem libris conſcripſit, quorum duo priores *ἀποθέωσιν* ſiue *fabulam de nuptiis Philologiae et Mercurii;* poſteriores vero artium laudes et praecepta in ſe continent (t). Poſt hunc denique ANICIVS MANLIVS TORQVATVS SEVERINVS BOETHIVS, Romanus, qui temporibus THEODORICI *Gothorum regis* inclaruit, quinque libros *de conſolatione philoſophiae* compo-

(o) in quo quidem eum patrum noſtrorum memoria ſequutus eſt PETRVS CVNAEVS, qui feſtiuam ſane ſatiram Menippeo-Varronianam, cui nomen eſt: *ſardes venales*, in publicam lucem edidit. Adiecta eſt eius orationibus Lipſiae cIↄ Iↄ C LXXXXIII. editis p. 40. ſq.

(p) de ſtilo eius pluribus legatur *ſumme ven.* WALCHIVS d. l. c. VIIII. p. 620. et I. N. FVNCCIVS *d. l. ex p.* 665. *ſeq.*

(q) *lib. X. c.* 1. *p.* 921.

(r) *comm. in ſomnium Scipionis lib. I. c.* 2. *p.* 6.

(s) hi libri a PHILIPPO BEROALDO, qui eius ſtilum impenſius amauit, editi ſunt primo omnium. *Venetiis* cIↄ D LII. Rectius de eo iudicauit MELANCHTON, qui, eum cum aſino ſuo rudere, dixit, vt eius verba excitat MORHOFIVS d. l. *tom. I. lib.* 4. *c.* 14. *p.* 906. vbi plura de inepta eius dicendi ratione, aliorumque de eo iudicia adferuntur.

(t) conf. de eo FABRICIVS *l. m. lib. III. c.* 15. *p.* 638. *ſeq.* et de ſtilo eius MORHOFIVS d. l. lib. IIII. c. 14. p. 916. ſeq., ac VAVASSOR d. l. p. 553.

Digitized by Google

compoſuit (*u*). Sed, quum horum virorum ſcripta partim huc non pertineant; partim cum iis, quos ſupra laudauimus haud poſſint comparari, inſtituti noſtri ratio non poſtulat, vt in eorum ingenii monimenta operoſius inquiramus.

SECTIO II.

CAP. I.

DE SATIRA LVCILIANA.

IAM ad LVCILIANAM SATIRAM peruenio, quae tanto eſt illuſtrior, quanto praeclariores ſunt viri, qui in ea polienda laudabiliter deſudarunt. Nomen traxit a CAIO LVCILIO, equite romano, Sueſſa Pometia, (*a*) nobili Aruncorum vrbe, oriundo. Natus is eſt olymp. CLVIII, hoc eſt, anno ferè ab vrbe condita IↃCV. (*b*) et magnus auunculus fuit CN. POMPEII MAGNI, cuius matrem noſtri fuiſſe ſororem, auctor eſt PORPHYRIO (*c*). Primo quidem ſtipendia fecit numantino bello, quo, imperatore P. AFRICANO, SCIPIONIS AFRICANI maioris ex adoptione nepote, eques militauit, quemadmodum VELLEIVS PATERCVLVS diſerte teſtatur (*d*). Deinde vero, poſtquam

E

(*u*) hi libri tanti ſunt habiti a viris doctis, vt eosdem in omnes fere linguas transtulerint, et Iudaei etiam ebraice verterint, de quibus vid. FABRICIVS *d. l. p.* 664. vbi plura de eo inuenies.

(*a*) vid. VOSSIVS *de poetis latinis* *p.* 233. et FABRICIVS d. l. *lib.* 4. c. 17. *p.* 666.

(*b*) teſte HIERONYMO *in chronico Euſebiano.*

(*c*) *notis ad Horat. ſat.* 1. *lib. II.*

(*d*) *lib. II. c.* 9. videmus igitur, quam foede errauerit DOVIACIVS, qui, vt eius verba a DRAKENBORCHIO, *notis ad* LIVII *lib. VII. c.* 2. *tom. II, p.* 474. excitantur, LVCILIVM LIVIVM ANDRONICVM aetate antecedere adfirmauit, et hunc, relictis illius carminibus, nulli

quam muſis manſuetioribus totum ſe tradidiſſet, ſatiris, quarum, quum in iis ſolis operam ac ſtudium collocaret (*e*), egregiam vim compoſuit (*f*), tantam diuini ingenii conſequutus eſt gloriam, vt eius nomen nulla deletura ſit aetas.

II.

NOVAM ſane has concinnandi iniit rationem, quae Romanis numquam antea cognita fuerat atque perſpecta. Licet enim, quod iam ENNIVS fecerat, diuerſas verſuum formas inter ſe miſcuerit, tamen quum prioris ſatirae iocis atque ſalibus haud eſſet contentus, inuſitatas vias, tritis relictis, auſus eſt indagare. (*g*) Ad veteris enim comoediae exemplum ſtilum ſuum compoſuit (*h*), et neque diis; neque homi-

nulli certo argumento adſtrictis, graecorum more poemata ad certam argumentorum ſeriem reuocaſſe cenſuit. Belle ſane, ſi diis placet! Sed nolo huius rei falſitatem operoſius ante oculos ponere, neque contra virum diſputare, qui politiores haſce litteras ne attigiſſe quidem videtur.

(*e*) ita ego quidem arbitror. Licet enim ſaepius eius verſus excitentur ex *hymnis, epodis* ac *commoediis, ferrano* et *numularia*, tamen librariorum vitio iis locis irrepſiſſe LVCILII nomen, argumentis haud leuibus contendit FR. IANI F. DOVSA *notis in Lucilii relliquias p.* 99. *ed. Lugd* ap. FR. RAPHELENGIVM *ex offic.* PLANTINIANA CIↃ IↃ LXXXXIII. quam editionem nitidiſſimam et rariſſimam ſuo iure nominat I. N. FVNCCIVS *de ad. l. l. p.* 91. *not. m.*

(*f*) nempe XXX. libros compoſuit. NONIVS quidem MARCELLVS ſaepe verſus ex lib. XXXVI. et XXXVIIII adducit; ſed eruditi iam dudum obſeruarunt, in emendatioribus libris legi XXVI. et XXVIIII.

(*g*) quare non nouam inuenit, vt plerique critici ſibi perſuadent, ſed, quae iam aderat, noua ratione concinnare inſtituit. conf. CASAVBONVS *d. l lib. II. p.* 272.

(*h*) teſte HORATIO *lib.* I. *ſat.* 4. *p.* 248. Tres erant apud Graecos comoediarum formae *ἀρχαῖα, μέσα* & *νέα*. Prima illa mordaciſſima erat, in qua vitia moresque praeſertim primatum, addito nomine acerrime perſtringebantur. Sed quum ne bonis quidem parcerent poetae, lex deinde lata eſt, qua cuique licuit, in ſcena laedenti dicam dicere. Quod quum aliquo-

hominibus pepercit. Illorum enim ſimulacra riſui expoſuit (*i*); horum vero cum primatum, tum infimorum (*k*) vitia tam inſigni libertate, neſcio an licentia, notauit, vt omnes fere eius aculeos pertimeſcerent. Bene id expreſſit IVVENALIS, qui hac de re ſic fere canit:

Enſe velut ſtricto, quoties LVCILIVS *ardens*
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens eſt
Criminibus, tacita ſudant praecordia culpa.
Inde irae et lacrimae (*l*)

Cuius quidem timoris rationem in eo ſitam eſſe ac collocatam putamus, quod acer hicce poeta plurimos nominatim lacerare haud dubitauerit. Hoc enim factum eſſe arbitramur, vt, ſi quas vitiorum notas dilucidius forte expoſuerit, haud pauci male factorum conſcientia perterriti, iam ſuum nomen audire, et omnium ludibrio expoſiti eſſe ſibi viderentur (*m*).

aliquoties factum eſſet, breui conticuit. conf. de his omnibus CICERO apud AVGVSTINVM *lib. IIII. de ciuitate dei c.* 9. PLATO *libro VI. de legibus tom. II. p.* 817. *ed. Henr. Steph.* SAMVEL PETITVS *ad leges atticas p.* 79. VOSSIVS d. l. *lib. II. c.* 27. §. 6. *p.* 113. I. A. FABRICIVS *bibl. gr. lib. II. c.* 21. *p.* 704. *ed. ſec.* VAVASSOR *de dictione ludicra p.* 72. aliique complures.

(*i*) eius rei gratia vid. *ſat.* 20. *p.* 60. conf. LACTANTIVS *lib. I. c.* 7.

(*k*) auctore HORATIO, *qui lib. II. ſat. I. v.* 69. *p.* 407.

primores inquit, *populi arripuit, populumque tributim.*

h. e. omnes omnium tribuum, quae fuerunt quinque et triginta vrbis antiquae, homines carpſit. Legi poteſt hac de re LAMBINVS *commentario in hunc locum p.* 101. ed. Francof. CIↃ IↃ LXXVII. *ex officina Wecheliana*, et praeter CRVCQVIVM, *notis ad hunc locum*, CORNVTVS, *vetus ille* PERSII *ſcholiaſtes*, *notis ad eiusdem ſat.* I. *v.* 128. *p.* 21. *ed. Pariſienſ.* CIↃ IↃ CXIII.

(*l*) *ſat. I. v.* 165. *ſeq. conf.* MACROBIVM *ſaturn. lib. II. c.* 12. *p.* 366.

(*m*) conf. IO. BRITANNICI *notas ad modo excitatum Iuuenalis locum.*

III.

QVAMVIS autem, ſolius virtutis amore ductus, prauos tantummodo, vt LVPVM, MVTIVM *(n)* aliosque acriter carpſerit, et, e contraria parte, bonos quoscumque LAELIOS, SCIPIONES ceteros, maledictis numquam offenderit *(o)*; nihilo tamen ſecius a recta via aberraſſe iure cenſendus eſt. Si enim res, circa quas ſatira debet verſari, paullo accuratius eſſet perſcrutatus; luculenter ſane perſpexiſſet, paullo durioribus interdum quidem opus eſſe remediis, ſed partem laeſam, cui quouis modo fomenta parari debeant, haud quaquam eſſe recidendam. Deinde omnino quidem neceſſe eſt, vt ſatirarum ſcriptor quaedam vitiorum viua quaſi exempla ſibi ante oculos ponat, quo eorum turpitudinem lucidis depingere poſſit coloribus. Verum, quae in vno alteroue animaduertit, generalioribus ſignis, ſapienter excogitatis, ſic debet coniungere, vt cum non hominem, id enim nulli ciuium licet, ſed prauos mores, errorem, ignorantiam, et id generis alia, inſectatum eſſe, adpareat.

IIII.

QVEMADMODVM vero maledicendo, ſic etiam aliis rebus veteris comoediae naturam atque indolem exprimere mirifice ſtuduit. Quum enim ad eamdem politius effingendam dicendi forma tanto videretur aptior, quanto ſolutae orationi eſſet ſimilior; ille etiam tam humili vſus eſt ſcribendi genere, vt, ſi verſus eius metro ſoluas, quemuis alium quam poetam legere, tibi videaris. Teſtatus id eſt iam HORATIVS *(p)*, et nos idem quam plurimis com-

(n) vt PERSIVS *teſtatur ſat.* I. *v.* 129. *p.* 9.

(o) teſte HORATIO *lib. II. ſat.* I. *v.* 65. *ſeq. p.* 406. conf. IACOBI CRVCQVII, *Meſſeni, notas ad hos verſus.*

(p) lib. I. ſat. 4. *v.* 56. *ſeq. p.* 348.

comprobare poſſemus exemplis. Quid enim, vt vnicum tantum modo exitemus, planius eſt iſtis, qui ex libro quinto ad noſtram vſque peruenerunt aetatem, verſibus, quibus eum ſic ceciniſſe videmus:

Quo me habeam pacto, tametſi non quaeri, docebo
Quando in eo numero manſi, quo maxima nunc eſt
Pars hominum, vt periiſſe velis, quem nolueris, quum
Viſere debueris. (q)

V.

RECTE quidem pedeſtrem muſam coluit LVCILIVS, quippe quae, vt infra docebimus, ſatirae quam maxime eſt conſentanea. At, quam inde nactus eſt laudem, quibusdam ſtili verſuumque maculis aliquanto minuit. Namque non modo diuerſis in locis graecis vſus eſt verbis (r), ſed etiam ſingulis verſibus ſingulos, ex HOMERO depromptos, ſubiecit (s). Deinde archaismis abundat, et ſaepe ad arbitrium noua excogitauit rerum ſigna. Quid? quod, quoniam, HORATIO auctore (t):

- - - - in hora ſaepe ducentos
Vt magnum, verſus dictabat ſtans pede in vno.

obſeruatis quibusdam metri regulis, cetera parum curaſſe videtur. Modo enim, illius gratia, alium pro alio poſuit caſum (u); modo vocabula contraxit (x); modo quascumque,

(q) *p* 35.

(r) vt *lib. III. p.* 28. *lib. IIII. p.* 33. *lib. V. p.* 35. *libro XVII. p.* 50. *lib. XXVI. p.* 58. *cet.* Vt vero vel vnicum huius rei exemplum excitemus, ea adferemus, quae modo memoratis verſibus *p.* 35 ſubiunxit. Sic enim pergit

- - - hoc nolueris et debueris te
Si minu' delectat, quod ἄτεχνον
Iſocration eſt;
Ὀχληρῶδέςque ſimul totum ac
συμμειρακιῶδες:
Non operam perdo. Sic tu hic,
cetera perierunt.

(s) conf. *lib. XIIII. p.* 53.

(t) *lib. I. ſat.* 4. *v.* 9. *et* 10. *p.* 349.

(u) *vt ſat. I. p.* 24. *VIII. pag.* 42. *XXVIII. p.* 75. *ſeq.*

(x) *lib. VII. p.* 41. *ſeq.*

que abiecit litteras. Cuius praeclarum eſt exemplum, quod *libro vndecimo* legimus (*y*), quo:

> *Praetor noſter*, inquit, *adhuc quam ſpurcu' 'ſt ore quod omnes cet.*

Hic, vt videmus, duas abſcidit litteras, iuxta ſe inuicem poſitas, quarum priori in primis infenſior fuiſſe videtur. Hanc enim, quum feſtinanti ſaepe forte eſſet impedimento, vno eodemque verſu, quod neſcio an vlli contigerit, ter loco cedere iuſſit, quum in hunc modum loquitur (*z*):

> *Tum laterali' dolor, certiſſimu' nunciu' mortis.*

Hoc potiſſimum factum eſſe iudico, vt HORATIVS (*a*) lutulentum eum fluere, et I. C. SCALIGER (*b*), quo venuſino poetae contradiceret, ne fluere quidem adfirmauerit. QVINCTILIANVS vero ſe neutiquam ab HORATII partibus ſtare, profitetur (*c*), et forte aliter ſentiendi multas et graues habuit cauſſas. Nam ſi omnia ſatirarum eius monimenta ad nos perueniſſent, plura forſitan in iis niterent, vt paucis hiſce maculis tantopere haud offenderemur. Id certe veriſſimum eſt, veteres Romanos eius ſcripta, et diligenter legiſſe, et magni ſane aeſtimaſſe, ita quidem, vt etiam VIRGILIVS quemdam illius verſum, vnico tantum nomine mutato, *Aeneidos libris* inſeruerit (*d*).

VI.

(*y*) *p.* 50.

(*z*) *ex incerto ſatirarum libro p.* 6.

(*a*) *l. m. p.* 349.

(*b*) *lib. III. poet. c.* 97. *p.* 344.

(*c*) *l. d. lib. X. c. I. p.* 909.

(*d*) verſus Lucilii reperitur lib. I. p. 23. et ſic ſe habet:

> *Conſilium ſummis hominum de rebus habebant.*

Hunc VIRGILIVS *lib. Aen. VIIII. v.* 20. *p.* 546. ed. R. STEPHANI *Pariſiis cIↄ Iↄ XXXII.* hoc modo in vſum ſuum vertit:

> *Conſilium ſummis regni de rebus habebant,*

conf. qui hoc me docuit, MAVRVS SERVIVS HONORATVS, *notis ad hunc* VIRGILII *locum.*

VI.

QVODSI iam ad Graecos reſpicimus, nullum apud eos poematum genus inueniri, intelligimus, quod vllo vmquam tempore ſatirae nomine fuiſſet clarum, et quod LVCILIVS in omnibus ad imitandum ſibi potuiſſet proponere. Teſtis huius rei, praeter HORATIVM (e), et AELIVM DONATVM (f), eſt DIOMEDES, qui: *ſatira eſt carmen apud Romanos,* inquit, NON QVIDEM APVD GRAECOS, *maledicum, et ad carpenda hominum vitia, archaeae comoediae charactere compoſitum, quales ſcripſerunt* LVCILIVS *et* HORATIVS *et* PERSIVS. Sed, ſi etiam forte quispiam de hoc loco dubitaret, vti, quod a nemine huc vſque animaduerſum eſſe miror, iure meritoque dubitari poteſt (g); aliud adhuc habemus, idque luculentiſſimum teſtimonium, quod litteris conſignatum nobis reliquit FABIVS, qui *in*

(e) *lib. I. ſat. 10. v. 66. p. 397.*

(f) *libro de tragoedia et comoedia.*

(g) hunc enim locum diuerſo modo a ſcriptoribus excitatum legi. IS. CASAVBONVS *d. l. lib. II. p. 271.* FR. DOVSA, *notis ad* LVCILII *fragmenta p. 98.* I. I. VOSSIVS *inſt. poet. lib. III. c. 9. §. 13. p. 144.* aliique complures eumdem, eo, quo nos, modo adducunt. Alii vero cum PITISCO d. l. tom III. voc Satyra p. 341. legunt: *ſatira eſt carmen apud Romanos,* NVNC QVIDEM MALEDICVM cet. Duobus ego vſus ſum huius libri exemplis, quae denuo differunt. In altero enim, quod ſaepe adduximus, eodem modo quam apud PITISCVM legitur. In altero vero, quod typis eſt expreſſum *Venetiis* per THEODORVM DE RAGAZONIBVS DE ASVLA CIↃ CCCC LXXXXV. et antiquiſſimum eſſe videtur, quoniam FABRICIVS *d. l. lib. 4. c. 7. p. 782.* non antiquius recenſet, quam quod *Venetiis* CIↃ IↃ *XXII. in forma maiori* prodiit. In hoc, inquam, ſic exaratum reperies: *Satira eſt carmen apud Romanos,* NVNC QVIDEM *apud Graecos* cet. Sed, licet haec lectio ſine dubio ſit falſa, quod etiam P. DANIEL *notis ad Petronii ſatyricon p. 78,* obſeruat tamen, quum in aliis huius libri exemplis *Graecorum* nulla plane fiat mentio, res erit dubia, donec inſpectis, atque inter ſe collatis, vetuſtioribus M. S., clariori luci exponatur.

in inſtitutionibus oratoriis ſatiram totam eſſe romanam diſertis verbis adfirmat (*h*). Nihilo tamen ſecius haud quaquam eſt credendum, apud Graecos nihil quidquam exſtitiſſe, quod Lucilianae ſatirae, vel aliquo modo, ſimile eſſe videretur. Non enim iam repetam, quae ſupra de veteri comoedia adnotaui, et hoc tantum obſeruaſſe ſufficiat, fuiſſe apud eosdem verſuum genus, *ſillorum* nomine cuius, qui modo graecas attigit litteras, notiſſimum, quod cum LVCILII ingenii monimentis haud immerito poſſit comparari.

VII.

Non me fugit, magnum illum HEINSIVM (*i*) audacter adfirmaſſe, hosce verſus cum ſatyrica poeſi fere vnum eſſe idemque, quippe quos in eius rei gratiam huic iunxiſſet EVSTATHIVS. Neque minus haud ignoro, illud a celebri hocce factum eſſe ſcriptore, et ne locum me latere profiteor (*k*). Sed! tantum abeſt, vt ei credam, vt eum potius egregie falli arbitrer, qui in multis aliis rebus veritatis reliquit ſpeciem. Licet enim verum ſit, hosce verſus a *ſillis* nomen accepiſſe, et communem ipſis praeterea eſſe, cum ſatyrica poeſi, maledicendi rationem, quare etiam SVIDAS (*l*) vocabulum σίλλος per χλευασμὸν *deriſionem*, *cauillationem* explicauit; tamen ab eadem quam maxime erant diuerſi. Exculti enim ſunt, vt alia taceam, extra ſcenam, iambico pariter atque heroico numero adſtricti (*m*), in quibus omnibus haud contemnenda eiusdem, cum Luciliana ſatira, ſimilitudo adparet. HOMERVS illos primum inueniſſe dicitur (*n*).

Dein-

(*h*) *lib. XCI. p.* 908.

(*i*) *lib. de ſat. Horat.* p 31.

(*k*) *exſtat notis ad* HOMERI *odyſſ.* Σ *p.* 663. *ed. Baſ.*

(*l*) *lex. tom. II. p.* 342.

(*m*) *conf.* VOSSIVS *d. l. lib. II. c.* 20. *p.* 102.

(*n*) *auctore* EVSTATHIO *notis in Iliad B. p.* 204.

Deinde diu multo poſt in iis inclaruerunt XENOPHANES, quem in HOMERVM et HESIODVM tales compoſuiſſe accepimus (*o*); et TIMON PHLIASIVS (*p*), cuius fragmenta poſt alios ſtudioſe collegit ſupra excitatus HEINSIVS (*q*). ex quibus multa ſane noſtrae ſententiae confirmandae gratia in medium proferre poſſemus, niſi ſcriptionis cancelli et tempus id prohiberent.

VIIII.

IAM rite intellectis diuerſis, quotquot apud Romanos fuerunt, ſatirae formis, ſatis commode agi poſſe nobis videtur, de nominis eiusdem ratione, antequam ad eos progrediamur, qui LVCILIVM ſcriptis ſuis illuſtrarunt. Plurimi, vt ſupra iam aliquo ſaltim modo indicauimus, ſuſpenſo atque incerto fuerunt animo, ac valde dubitarunt, ſitne idem deductum a ſatyrica poeſi, an a ſatira lege, cuius LVCILIVS meminit (*r*); vel, num a lance ſatura an a cibi cuiusdam genere, cuius mentionem fecit SEXTVS POMPEIVS FESTVS. (*s*) Non defuerunt etiam, qui in certam quamdam ſententiam iuerunt, vt I. C. SCALIGER (*t*), FRIDER. RAPPOLTVS (*u*) atque alii, qui idem a ſatyris pariter ac ſatyrica poeſi nominatum eſſe, acriter defendere conati ſunt. Sed, ſi quid ego iudico, magis audacter, quam perite. Qui enim ea, quae hactenus operoſius pertractauimus, attente perlegerit, facili perſpiciet negotio, inter ſatiram ac ſatyricam poeſin tan-

F tum

(*o*) *teſte* DIOGENE LAERTIO *lib. VIIII. p.* 241. ed. MENAGII.

(*p*) *conf.* SVIDAS *tom. III, voc* σιλλαίνει *p.* 314.

(*q*) Inueniuntur in eiusdem HORATII edit *Lugd. apud* ELZEVIRIVM cIↄ Iↄ CXLI. p. 310. ſeq.

(*r*) *lib. I. ſat p.* 24.

(*s*) videmus hoc in eius fragmento *de verborum ſignificatione* p. 194. ed. DIONYSII GOTHOFREDI, vbi etiam ſimul de ſatira lege agit.

(*t*) *de poet. lib. I. c.* 12. *p.* 343.

(*u*) *comm. in* HORATIVM *p.* 3.

Digitized by Google

tum eſſe diſcrimen, quantum cogitari poteſt maximum, easque nullo modo ſub vno eodemque comprehendi poſſe nomine. Quodſi vero rationibus, ab vtriusque diuerſitate repetitis, vti iam non eſſet animus; tantum tamen abeſt, vt omnibus deſtituti eſſemus, vt potius maioris ponderis argumenta adhuc ſupereſſe videantur. Neminem enim latere arbitramur, ſatiram diu ante Romae fuiſſe in vſu, quam graecarum diſciplinarum vllum vmquam ibi auditum eſſet nomen. Accedit eo, quod Quirites deos illos minores non *ſatyros*, ſed, quod probe eſt adnotandum, *faunos* adpellaverint. Quae quum ita ſint, ego certe non video, quomodo fieri potuerit, vt rem, Romae natam, a quodam graecae poeſeos genere, plane ipſis incognito, nominauerint, quum longe adhuc difficilius ſit intellectu, qua tandem ratione *ſatira* a *faunorum* nomine poſſit inflecti. Sed nolo iam, neque huic rei diutius inhaerere; neque in aliorum opiniones operoſius inquirere, quum ſcriptionis huius limites ea, quae hac de re forte eſſent dicenda, vix ac ne vix quidem caperent. Breuibus igitur modo meam feram de huius vocabuli ἔτυμον ſententiam. Ego vero, tutius me adfirmare poſſe arbitror, hancce praeclaram poeſeos formam a *ſatura lance* nomen ſuum accepiſſe. Sic enim adpellabatur vaſorum genus, quod, omnium frugum primitiis refertum, CERERI, BACCHO atque aliis diis oblatum eſſe ſcimus. Deinde, poſteriori nomine abiecto, *ſaturam*, et, poſtquam lingua paullo facta fuiſſet politior, mutato *u* in *i* *ſatiram* potius dixerunt latini (*x*), eoque vocabulo praeclaram noſtram poeſeos partem denotarunt. Haec enim, primis ſaltim temporibus, diuerſis metris, diuer-

(*x*) non aliter igitur differt *ſatura* a *ſatira*, quam *maxumus* a *maximus*, *optumus* ab *optimus*, quod plurimi lexicorum conditores haud obſeruarunt. conf. I. CASAVBONVS d. l. p. 318.

26

diuerſis rebus, diuerſis ſcribendi modis ita fuit permiſta, vt, eadem rite perſpecta, talem lancem ante oculos habere tibi videaris.

CAP. II.

DE POETIS SATIRA LVCILIANA CLARISSIMIS.

NVNC tandem ad eos venimus, qui, LVCILIVM imitati, tanto maiorem conſequuti ſunt gloriam, quanto politiorem pariter ac limatiorem ſatiram, ab eo acceptam, poſteris reddiderunt. Haud difficile forte erit intellectu, me ad illuſtriſſimos triumuiros HORATIVM, PERSIVM atque IVVENALEM reſpicere, qui ſatiris ſuis iam dudum nominis immortalitatem ſibi acquiſiuerunt. Numquam ego quidem negabo, ante horum aetatem quosdam exſtitiſſe, qui, LVCILII veſtigiis inſiſtentes, ſatiras condiderint. Fuit enim VARRO ATACINVS, (y) SAEVIUS NICANOR, LENAEVS (z), et multo adhuc plures, qui huic rei inſignem plane dederunt operam. Neque ſequenti tempore defuerunt, qui ad hanc praeclaram ſane diſciplinam ſtudioſe incumberent, inter quos in primis nominari debet SVLPITIA, *illuſtris illa poetria romana*, quae, praeter quosdam *amorum libros* (*a*), caſtitate inſignes, politam etiam ſati-

(y) hunc cum M. T. VARRONE, togatorum doctiſſimo, ratione ſatirae, minus recte confundit I. N. FVNCCIVS *lib. de virili aetate ling. lat.* c. 4. p. 273. ſeq.

(z) de his omnibus vid. praeter CRINITVM, GYRALDVM, FVNCCIVM, IS. CASAVBONVS *d. l. p.* 287. *ſeq.*

(*a*) conf. MARTIALIS lib. X. ep. 35. Inde explicandum cenſeo ſatirae eius v. 8. p. 12, quo dicit:

- - quos

ſatiram compoſuit (*b*). Attamen, quum laudati illi viri his longè ſint clariores, de iis acturi, hos ſilentio praeteriri poſſe, arbitramur.

II.

OMNIBVS vero palmam praeripuiſſe videtur *venuſinus poeta*, vti lyricorum; ſic etiam ſatirae ſcriptorum facile princeps. Non opus eſſe iudico, vt, quo vixerit tempore diligentius excutiam, quum neminem forte fugiat, eum AVGVSTO, celebri illi omnium elegantiorum litterarum vindici pariter ac ſtatori, notum fuiſſe et familiarem. Ad eius igitur ſcripta, quae ad inſtitutum noſtrum pertinere videntur, penitius perſcrutanda, et, quoad eius fieri poteſt, rite diiudicanda ſtatim me conferam. Duos vero *ſermonum*, totidemque *epiſtolarum* conſcripſit libros, quorum illi toto ſuo ambitu; hi aliqua ſaltim

- - - - - *quot denique millia luſi*

Primaque Romanas docui contendere Graiis,

Et ſalibus variare nouis - - - diu enim ante Romae plurimae celebres erant poetriae, ſed non in amoribus canendis, iambis et phalecis, quibus *Sulpitia* inter romanas primum excelluiſſe videtur; conf. I. N. FVNCCIVS *d. l. p.* 247. *ſeq.*

(*b*) ſatira haec inſcribitur: *de corrupto ſtatu reipublicae temporibus* DOMITIANI, *praeſertim, quum edicto philoſophos vrbe eieciſſet.* Diu AVSONIO tributa eſt, donec tandem huic poetriae vindicaretur. MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS eamdem inter *poetas ſatiricos minores* cIↄ Iↄ C XXXIII. recudi curauit, ornauitque polito ſane commentario. Magnis hanc ſatiram extollit laudibus *notis ad eamdem* p. 23. et forte non immerito. Namque HORATIVM, quem ſtudio imitata eſſe videtur, ſaepe feliciter expreſſit. Id tamen non placet, quod ſtatim ſub initio operis muſam implorat, vt ſibi ſit auxilio. Hoc enim ſatirae ſcriptorem minus decet. conf. de eadem I. G. VOSSIVS *de poetis latinis* p. 245. et CASAVBONVS *d. l.* p. 282, qui tamen, qua ratione neſcio, minus praeclare de eiusdem ſatira ſentit.

Digitized by Google

tim ex parte ſatiram referunt (c). Hanc omnium primus, relictis iambis, aliiſque verſuum generibus heroico metro adſtrixit. Argumentum, quo vtitur, quam maxime eſt diuerſum. Quum enim totum hominem vellet emendare, non ſolum ad intellectum, ſed etiam ad uoluntatem reſpexiſſe videtur. Modo enim ignorantiam; modo errorem; modo vitia et prauos mores ingenue carpſit, et licet circa hos praecipue verſetur (d); tamen haud quaquam laudandi ſunt A. PERSIVS FLACCVS, TIBERII et adhuc NERONIS aetate (e) ac DECIMVS IVNIVS IVVENALIS, DOMITIANI tempore, clari (f), qui, relictis aliis rebus, mores ſolum tetigerunt (g).

III.

SAPIENTER deinde HORATIVS ea tantummodo notauit, quae cenſoriam animaduerſionem merentur, omnibus

(c) neque illi recte feciſſe cenſendi ſunt, qui eius epiſtolas ſatirae nomine inſigniri poſſe plane negarunt; neque hi, qui omnes illuc trahi debere arbitrati ſunt. Quid enim commendatitiae litterae? quid eae, quibus diuerſorum hominum exponuntur laudes? numquid etiam ſunt ſatiricae? neminem certe hoc vmquam credo eſſe adfirmaturum. At, CASAVBONVS l. m. p. 239. inquit: LVCILIVM multos interdum homines laudibus extuliſſe, et niſi epiſtolas, quibus hoc fieret, etiam ſatiricas diceremus, de numero *Perſianarum* quintam plane etiam eſſe tollendam. Sed, tollatur! quid inde? in eo enim pariter ac LVCILIVS ſatirae leges perfregit.

(d) quo factum, vt ſatirae conditores paſſim a IOANNE SATISBERIENSI *ethici* adpellati ſint.

(e) hic ſex conſcripſit ſatiras, quas cum vita eius, praeter CRINITVM, GYRALDVM, VOSSIVM, FABRICIVM expoſuit I. N. FVNCCIVS *lib. de imm. ſen. lat. ling. c. 3. p. 100. ſeq.*

(f) XVI. hic nobis reliquit ſatiras, de quibus pariter ac de vita eius, praeter modo excitatos ſcriptores, vid. HENR. DODWELLI annales quinctilianeos §. XXXVII, p. 1195, qui adiecti ſunt QVINCTILIANI *inſt. orat.* a PETRO BVRMANNO *in lucem editis.*

(g) conf. RAPPOLTVS d. l. p. 9.

nibus iis haud conſideratis, quae aut eadem carere debent, aut eamdem excedunt (*b*). In quo quidem dupliciter IVVENALIS valde mihi errare videtur. Nam quum ſtatim ſub initium totius operis ſic fere cecinit:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli (*i*)

primo inter alia, adfectus ſibi carpendos ſumpſit, qui niſi ad malas res adplicati fuerint, tangi minime debent. (*k*) *Deinde*, licet ipſe, grauiora peccata et ſcelera ſatirae parum conuenire putaret (*l*), tamen hanc legem in *decima quinta* non ſemel perrupiſſe dicendus eſt (*m*). In hac enim acriter perſtrinxit impios Aegyptiorum mores, quibus ducti, *deteſtabile*, vt ipſe loquitur, *monſtrum* auſi ſunt, quum homines diis immolarent, et hoſtes, quosquos bello ceperant, commederent. Quo vero malis peiora adderet, ſapienti ſane, ſi diis placet, conſilio, ſtudioſe modum expoſuit, quo *Tintaritae* in primis eos deuorarint (*n*), cuius deſcriptionem neminem, ſine quodam horroris ſenſu, puto poſſe legere. Maiori ſane laude ornandus eſſet, ſi ferales hoſce mores nulla vmquam ratione tetigiſſet, qui, quum feſtiue ludi nequeant, a tragoediae potius, quam a ſatirae ſcriptoribus argui debent ac puniri (*o*).

IIII.

(*b*) hac de re legi poteſt PETRVS CVNAEVS, *orat XII. in Iuuenalem p.* 164. *ed Francof.*

(*i*) *ſat. I. v.* 28. *p.* 29. *ed. Pariſiens. cum vetere ſcholiaſte*, et IOANNIS BRITANNICI *notis cl. b. LL.*

(*k*) quodſi etiam cum IOANNE BRITANNICO *ad hunc locum* malos intelligere vellemus, nihilo tamen ſecius IVVENALIS boni ſcriptoris laude eſſet priuandus, qui omnia ita proferre debet, vt de mente eius aperte conſtet.

(*l*) *conf. ſat. III. v.* 11. *p.* 153.

(*m*) dubitauerunt quidam an haec ſatira a IVVENALI ſit conſcripta, vt GROTIVS, *comm. ad cap. III. S. Lucae* aliique, ſed, quo iure, ipſi videant.

(*n*) v. 75. ſeq. p. 649. ſeq.

(*o*) conf. DAN. HEINSIVS l. m. p. 49. et FR. ZARPOLTVS l. exc. p. 9.

Digitized by Google

IIII.

RECTE porro ſuae tantum aetatis vitia obiurgauit HORATIVS. In quo quidem IVVENALIS valde iterum errauit. Namque non ſolum *initio* ſtatim *ſatirae primae* dicit (*p*): ſe eſſe notaturum, quidquid homines inde a Deucalionis aeuo minus recte admiſerint; ſed etiam homines mortuos lacerauit. Quid vero, quaeſo, quid iuuat, acri ſtilo notare vitia, quibus ſe olim Euandri polluit mater? aut, emendandine ſunt mores, quos longa aetas obruit plane ac aboleuit? neutiquam. Hoc enim modo cedit omnis ſcopus, et omnis ſatiram ſcribendi ratio. Minime credo, quemquam contra hanc ſententiam excitaturum eſſe tragicorum pariter ac comicorum exemplum, qui res, longe ante geſtas, in ſcenam producerent. Diuerſus enim eſt et ſatiram et dramata concinnandi modus. In his heroum aliorumque fatis exponendis morum praecepta paſſim intertexuntur; illa vitia, vel quiduis aliud, ſic depingit, vt homines probe cognoſcant, quam ridiculae, quam malae eorum ſint actiones, ob eamque cauſſam iis abſtineant, ac recto tramite incedere diſcant.

V.

IN eo tamen omnes peccaſſe videntur, quod homines nominatim perſtrinxerint. Supra iam adnotaui, hoc ſatirae ſcriptorem minime decere (*q*), et, idem hoc loco repetendi ampla mihi datur occaſio, quum HEINSIVS aliique magni nominis viri, id quod ego in HORATIO ceterisque ingenue notaui, magnae ſane ipſis laudi ducant. Sed, valde errat vir his in litteris ceteroquin verſatiſſimus, et omnes ii, qui, eius auctoritate forte commoti, eamdem tulerunt ſententiam. Hoc enim modo poeta in homines acerbius inueheretur, quum vitia tantum-

(*p*) v. 81. p. 96.

(*q*) ſect. II. c. I. §. 3.

tummodo deberet inſectari. Famam laederet hominis, quod ne fiat optimis vbique cautum eſt legibus, ſi praui eius mores plebi minus noti eſſent atque cogniti. Quid? quod, homines tam publice punctos atque laceratos vindictam potius quam morum emendationem molituros eſſe credo. Triſtia enim ſunt exempla IVVENALIS (r), qui octoginta annis maior in exilium eſt miſſus, et NICOLAI FRANCI (s) quem patrum noſtrorum memoria capitis damnauit PIVS V, *ſummus Romanenſium praeſul.* Minus recte igitur ſuum iudicium interpoſuit praeclarus ille HEINSIVS, qui HORATII laude haud contentus, PERSIVM etiam inde auſus eſt lacerare, quum huius poema edentulum eſſe adfirmat, quoniam vix duos συγχεόως carpſerit, et aliis in locis fictis commentitiisque vſus ſit nominibus (t). Tantum enim abeſt, vt tale dicendi genus, quemadmodum vir ſagaciſſimus ſibi perſuadet, ſcholam et vmbram redoleat, vt potius PERSIVS maiori adhuc laude dignus eſſet, ſi etiam pauca haec hominum tum viventium nomina intacta reliquiſſet.

VI.

QVODSI ad internam ſatirae huius formam animum aduerto, neſcio ſane, cui ratione inuentionis primas dare debeam. HORATII narrationes maxime ſunt iucundae. Placet in IVVENALI mira argumentorum vbertas, et vis quaedam inuentionis luculenta; imo, ne PERSIVS quidem hac in parte ſua laude eſt priuandus, qui cum IVVENALI, licet eum aetate antecedat, tamen in multis aliis minime

(r) conf. SVETONIVS *in vita Domitiani* et DODVVELLVS *ann. quinct. §. XXXVIIII. p.* 1161.

(s) *conf.* LIONARDO NICODEMO *Addiz. alla bibl. Napolet p.* 181. L. AMMIRATO *ne Ritratti tom. II. degl' opuſcoli p.* 250. *ſeq.* it. SCHEIBENII freymüthige Gedanken aus der Hiſtorie *cet. tom. II. p.* 12. *ſeq.*

(t) *L. exc. p.* 519.

me poteſt comparari, cui etiam, quoad argumenti diſpoſitionem cogitamus, priores deferre haud dubito. Neque tamen hac in re HORATIVS tam acriter eſt notandus, quam eumdem laceratum vidi a I. C. SCALIGERO, qui omnium rerum permiſtionem in eius ſatiris obſeruari poſſe arbitratur. Cuius quidem rei probandae gratia illuſtris ſcriptor libri I. ſat. III. excitat (*i*), quippe in qua FLACCVM neglectis, quas ipſe concinnaſſet, regulis, omnia miſcuiſſe, ſibi perſuadet. Verum eſt, ad quod ſummus hicce vir reſpexiſſe videtur, ipſum HORATIVM praecipere, vt argumentum, in quo quis forte verſetur, vnum ſit atque ſimplex (*x*)! Attamen probe eſt animaduertendum, quod pleroſque viros doctos effugit, artem ipſius poeticam fabulis potiſſimum in ſcenam efferendis leges praeſcribere. Deinde quidem non negabo, in omni ſcriptione quamdam debere eſſe rem, ad quam, velut ad primam ac praecipuam, omnia, quae dicuntur, ſe referant. Sed, deſideranturne haec in noſtro HORATIO? adiunxitne immitia placidis, auibusque ſerpentes? Numquam certe haec adfirmari poſſe, ego quidem mihi perſuadeo. Poeta enim in dicta ſatira primo loquitur de TIGELLIO, in omnibus actionibus perquam ſibi diſſimili, deinde leuia haec eſſe dicit, et facile ignoſcenda, licet homines quiduis in peiorem interpretari ſoleant partem; Leuiorem errorem admittentes non ſtatim morte eſſe plectendos, quum peccata, vt ſtoici nugarentur, haud eſſent paria. Hae ſunt praecipuae ſatirae huius partes, non tam male inter ſe coordinatae, quam quidem vir iſte egregius ſibi perſuaſit; et quis denique ſatiram tam accurate trutina examinaret, quum etiam in odis ordinem haud anxie quaeſitum pulchre ducat BOILAEVS.

G VII.

(*i*) *loc. exc. lib. VI. c. 7. p.* 805. (*x*) *arte poet. v.* 24.

Digitized by Google

VII.

OPTIME deinde HORATIVS cum ſalibus atque aculeis iucundam dicendi rationem, iocos et riſus ita miſcuit, vt etiam ii, qui tacti eſſe ſibi viderentur, eius libros non ſine voluptate legere poſſent. IVVENALIS fere ſemper ardet, et non iocatur, niſi vultu ad triſtitiam quam maxime compoſito. PERSIVS vero mirum in modum aſper eſt et acer, qui homines iugulaſſe potius quam emendaſſe intelligitur. Longe hac in re a me diſſentit vir incomparabilis I. C. SCALIGER. Hic enim, quum IVVENALEM ſatiricorum principem eſſe, acriter contenderet (*y*), eum etiam hic ſatirae indolem ac naturam optime expreſſiſſe adfirmat, quum in hunc fere modum loquitur: *hoc ipſum ſatirae maxime proprium eſſe videtur. Tangit vitia, inclamat, raro iocos, ſaepius acerbos ſales miſcet* (*z*). Nolo quidem hac de re tale ferre iudicium, quod olim tulit BLONDELLVS (*a*), qui: *à mon ſens*, inquit, *c' eſt iuger à la Flamande et à la Hollandoiſe de la delicateſſe et de la politeſſe des moeurs, que de dire cela*, ſcio enim quantum illuſtri Batauorum genti politiores debeant litterae. Nihilo tamen ſecius virum hunc κριτικώτατον hominum naturam parum reſpexiſſe arbitror. Hi enim, ſenſuum illecebris deliniti, multo facilius commouentur, quam vllis vmquam, iisque grauiſſimis, argumentis, praeſertim, ſi cum acerba coniuncta ſint morum reprehenſione. Bene id perſpectum habuit HORATIVS, ideoque quemadmodum PERSIVS loquitur (*b*) admiſſus circum praecordia tam feſtiue ludebat, vt homines lepida eius dictione mirum in modum capti, aculeos ſub iisdem latentes vix antea ſentirent, quam iisdem tacti eſſent atque puncti (*c*). Mira hac arte, qua ridendo verum dicere

(*y*) d. l. lib. VI. c. II. p. 73. (*z*) ibid.

(*a*) *dans la comparaiſon de* PINDARE et d' HORACE quae inuenitur *tom. I. op.* RAPINI *p.* 70.

(*b*) *ſat. conſ.* CORNVTVS *notis ad hunc locum p* 22. et CASAVBONVS *prolog. in* PERSIVM.

(*c*) recte itaque de eo SCHALIGER

dicere erat ſolitus, multo plus effecit, quam PERSIVS, IVVENALIS, et centum, his ſimiles, ſatirarum conditores. Hi enim vehementiam atque acerbitatem domo quaſi adferunt; indignantur, antequam ſe ad ſcribendum accingunt, et tam aſperi hominum ſunt obtrectatores, vt hi eorum volumina vix explicata, ira accenſi, abiiciant, et amoeniorem venuſini poetae muſam maiori cum voluptate audiant (*d*). In eo tamen omnino notari meretur HORATIVS, quod ſermonibus ſuis pariter atque epiſtolis obſcoenos admiſcuit iocos (*e*), ſed longe adhuc maior culpa in IVVENALI reſidet, qui vti in aliis; ſic in ſexta tam tetria mulierum in primis ſcelera luci expoſuit, vt duraturam ſibi ipſi labem adſperſerit (*f*).

VIII.

TANDEM FLACCVS ex humili dicendi genere maximam ſane reportauit gloriam. Egregie fallitur CLAVDIVS VERDIERIVS, ſatis tamen a MORHOFIO (*g*) notatus, qui audacius adfirmauit, ſatirae ſcriptorem non ſermone vulgari, ſed cum inſigni quadam grauitate vitia carpere debere (*h*). Etenim, quum cenſor morum publice non ſit conſtitutus, tanta auctoritate minime gaudet, vt prae-

 cipien-

ſentit qui: *ſurrepit*, inquit, *et inſinuat ſeſe in eius gremium, quem mordere vult. l. m. lib. III. n. 97. p.* 343.

(*d*) conf. praeter CVNAEVM multosque alios RAPINVS, *dans ſes reflexions ſur la poetique en particulier* §. 28. *p.* 203. *ſeq.* minus recte igitur faciunt ii viri doctiſſimi, qui ſatiram cum feſtiuam, tum acerbam eſſe contendunt. Huius auctorem faciunt PERSIVM et IVVENALEM, qui digni, quos imitarentur ipſis viſi ſunt. Sed, numquid veterum errores poſterorum ſcribendi leges ſunt atque regulae?

(*e*) conf. praeter alios AENEAS. SYLVIVS ſeu vt illuſtriori nomine eum excitem ſummus Romanenſium Praeſul *Pius II.* tractatulo de educatione lib. qui eſt inſertus ep. CCCCXXXI.

(*f*) conf. praeter quamplurimos, I. C. SCALIGER d. l. p. 343.

(*g*) *d. l. tom I. lib. 1. c. 16. §. 27. p.* 176.

(*h*) in libello, cui nomen eſt: *cenſio auctorum omnium veterum et recentiorum p* 57. *ſeq.*

Digitized by Google

cipiendo quaſi aut puniendo homines poſſit emendare. Neceſſe igitur eſt, vt ciuibus ſuis ſimilem ſe praebeat, vt cum iis rideat, ridendoque veritatem ante oculos ponat, et, velut HORATIVS, (*) ſic cum illis loquatur, tamquam ii, qui familiariter viuunt, loqui ſolent. Deinde, ſi homines vitiis deditì, ſatira, in rectam, qua aberrarunt, viam, debeant reduci, eos procul dubio perſpicere oportet, quare eorum actiones, vel quaeuis res a ſcriptore notatae, ridiculae ſint. Id quod nullo modo euenturum credo, niſi oratio plana, ad captum quorumcumque hominum adcommodata, et omni ex parte humilis ſit. Qua quidem in re neque IVVENALIS neque PERSIVS laudem meruit. Ille enim, quum ſtilo, qui ſummum oratorem decet, adſuefactus eſſet, declamauerat vero ad mediam aetatem, (i) ſatiras ſuas multis figuris (k) et magnificis dicendi formulis diſtinxit; Hic autem omnem fere doctrinae copiam in eas contulit, tamque obſcuras reddidit, vt, niſi CORNVTI in eas exſtarent notae, nos ne centeſimam quidem illarum partem intelligeremus; quare etiam HIERONYMVS eius libros in ignem miſiſſe et dixiſſe fertur: *ſi non vis intelligi, non debes legi* (l). In eo denique vtrique praeſtare videtur IVVENALIS, quod eius verſus aliquanto ſunt ſonantiores. Licet enim bene ſciam, HORATIVM in ſatiris numeros ſtudio neglexiſſe, tamen, vt hoc cum pleriſque viris doctiſſimis pulchre ducam, haud a me vmquam potero impetrare.

(*) quare partem ſatirarum ſermones nominauit. conf. FR. FL. SABINI *lect. ſubſ. c. 8. p.* 1208. quae in GRVTERI lampade tom. I. reperiuntur.

(i) cf. GYRALDVS d. l. dial. IIII p. 180.

(k) quae tamen interdum audacius ſunt effictae, vt in illo: ſat VI. v. 421.

Et ſummum dominae FEMVR EXCLAMARE *coegit*.

conf. BVCHNERVS de *commutata dicendi ratione p.* 28. de ſtilo eius vid praeter plures alios VOSSIVM *d. l. p.* 156. et GYRALDVM *d. l. p.* 179.

(l) *conf.* FABRICIVS *de l. p.* 394. *n. e.* de ſtilo eius vid. I. N. FVNCCIVS *d. l.* p. 108. GYRALDVS d. l. *lib. III. p.* 175. I. C. SCALIGER *d. l. lib. VI. c. 6. p.* 713. et CASAVBONVS *prol. in ei. ſat.* quae prodierunt *Pariſiis* CIƆ IƆ CXV. aliique complures.

VIRO

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

HENRICO WOLFIO

S. P. D

IO. ERN. IMM. WALCHIVS

LOG. ET METAPH. PROF. PVBL. ORD.

T*anto ego impenſius de tot praeclaris, quae* TIBI *adhuc paraſti, ornamentis laetor; quo arctius* TEmecum *et morum* TVORVM *integritas, cum ſingulari ſuauitate coniuncta; et litterarum genus, quo ambo delectamur; inprimis vero latina illa, in qua muſis elegantioribus ſacra fiunt, ſocietas coniunxit. Gratulor* TIBI *ſimul ſincera mente de noua laurea, quam propediem, litteratam initurus pugnam, magno, quod tutus confido, plauſu et inter fauſtas amicorum adclamationes reportabis, deumque immortalem ſupplex precor, velit rerum* TVARVM *ſtatum et fortunatiſſimum; et florentiſſimum conſeruare ac pro infinita ſua gratia efficere, vt laudabilibus ſtudiis* TVIS *feliciſſimus euentus reſpondeat,* TVque *diligentiae* TVAE *paria, hoc eſt maxima et ampliſſima, praemia, in dulciſſimam aliquando patriam delatus, conſequaris. Valeas,* VIR PRAENOBILISSIME *meque in* TVIS, *quod valde opto, habeas. Ienae, d.* VIIII. *Ian.* cIↄ Iↄ CC LVI

NOBILISSIMO RESPONDENTI

HENRICO WOLFIO

S. D. P.

BASILIVS CHRISTIANVS BERNHARDVS WIDEBVRG

PHILOS. PROF. PVBL. ORD.

OPPONENS.

DVM *prima vice*, AMICE PERDILECTE! *cathedram conſcendis publicam, publicis his litteris* TE *merito gratulabundus compello. Non ſolum enim amicitia Tua valde iucunda, qua me amplexus es, hoc a me poſtulat humanitatis officium, ſed ea inſuper ad hoc exſequendum me concitat animi laetitia, quae praeceptorem perfundit fidelem, laudis egregiae quam ſibi vindicat ſtrenuus auditor, teſtem vberrimum. Maxima cum voluptate Tuam hactenus comperi diligentiam, quam, ad exemplum praeclariſſimi Praeſidis, Amici coniunctiſſimi, in praelectionibus meis mathematicis laudabiliter mihi exhibuiſti. Quoties enim Te conſpexi, occaſionem nactus ſum mihi de auditore gratulandi adſiduo, indefeſſo, attento, omnibusque iis ornato, quae a docili exſpectamus ingenio. Certiſſimam id ipſum mihi excitat ſpem, fore, vt vario laudum cumulo coronatus e cathedra deſcendas. Quae enim non de eo praeſagiamus fauſta, qui optima quaeuis, de ſe ſperare nos iuſſit? Pergas,* AMICE HONORATISSIME! *in illo quod ingreſſus es ſtadio percurrendo: ita nullus dubito, quin ſtudia Tua, optima ratione hactenus peracta, in patriae honorem, omnium Tuorum oblectamentum, orbisque litterati commodum cedant aliquando feliciter. Ex animo id ipſum Tibi precor, rogoque, vt et in poſterum mihi fauere numquam deſiſtas. Vale! Ienae. d. IX. Ian. A.* CIↃIↃCCLVI.

PRAE-

32

PRAESTANTISSIMO HVMANISSIMOQVE

DISSERTATIONIS HVIVS

DEFENDENTI

S. P. D.

M. IOAN. GOTTFR. MVLLERVS

SOCIETATVM, LAT. IENENS. AB EPISTOL. PRIM. TEVTONICAR. REG. GOTTING. ITEMQVE. IEN. COLL. OPPONENS.

SCILICET *ad obſirmandam huius ſaeculi labem hoc unum ſupereras, ut inſidioſa hominum libertati, et intolerabilis plane cauillandi laſciuia antiquitate demum probaretur! Atqui nata maiorum aetate turpitudo religioſam cum puluere venuſtatem, et ex longinquitate reuerentiam deuoluere iudicatur? Noſſe vero has male animatorum voces, nec ſibi ab eisdem timere, audaculae, neſcio, an firmatae mentis ſignum ſit: tutioris tamen viae index, ac deſerendae, quam ſuſcepiſti, cauſſae, neutiquam TIBI auctor ego exſtiterim, eodem, ſi diis placet, naeuo delectatus. Age potius, AESTVMATISSIME AMICE, et ſalutarem generi humano iocandi artem, vel ipſi TIBI, nobiliſſimo poetae, ingenitam, optimis, quibus polles, doctrinae praeſidiis et inuidenda ingenii felicitate tueri ſuſtine. Augebis certe, hoc ipſo, quam ex philoſophorum exedra doctisque conflictibus, laudem TIBI adhuc paraſti, mihique et aliis omnibus, iucundiſſimum gratulandi argumentum exhibebis. Ita vero laetior hic ſenſus animum meum pertentat, ut amiciſſima ſimul pro ſalute TVA vota nuncupem, conſiliiſque TVIS et inſtitutis optatiſſimos quosque exitus, et ampliſſima tandem diligentiae praemia ex animo precer. Ceterum, ut fauore TVO amicitiaque, quam maximi facio, et in poſterum me proſequaris, quocumque humanitatis officio ſtudebo promereri. Vale! Ienae, a. d. VIII. Id. ian. CIↃ IↃCCLVI.*

VIRO

VIRO
PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
HENRICO WOLFIO
FAVTORI ET AMICO SVO
MAXIMO OPERE COLENDO
S. D. P.

PRAESES.

Tandem et ego gratulabundus ad TE accedo, VIR PRAENOBILISSIME ac DOCTISSIME, ad TE inquam, qui in dies dieſque aliam ex alia lauream TIBI parare ſtrenue pergis. Ex quo in noſtram TE contuliſti academiam, nullum tempus, nullam plane occaſionem praeterlabi paſſus es, quin maximam ſpem apud omnes excitares, talem TE futurum, qualem ſanctior coetus, qualem patria vmquam ſperare potuerit. Non ſolum enim ad grauiores diſciplinas; ſed etiam ad eas, quae ab humanitate nomen acceperunt, litteras tam inſigni ardore incubuiſti, vt tanto doctiorem domum aliquando TE reuerſurum arbitrer, quanto politiorem HAMBVRGENSES noſtris TE tradiderunt muſis. Cuius quidem praeclarae diligentiae quum me teſtem locupletiſſimum ſemper eſſe volueris, graues et magnas de TE, amico mihi coniunctiſſimo, mirifice laetandi cauſſas in primis habere mihi videor. Summo igitur gaudio perfuſus laudes, craſtina luce illuſtri loco conſtituendas, TIBI ex animo gratulor, quum plane non ſit dubium TE ex docto, ad quod haud imparatus accedis, certamine ampliſſimum illud doctrinae praemium, magnam nempe gloriam, eſſe reportaturum. Praeterea Deum imploro, vt TE omni tempore ſaluum praeſtet atque incolumem, et rerum TVARVM ſtatum proſperrimum florentiſſimumque eſſe iubeat. Ita Vale VIR PRAENOBILISSIME, meque in TVORVM numero habere perge, cui amicitiae noſtrae haud fucatae memoria numquam non poterit eſſe gratiſſima.

Dabam Ienae idibus Ianuarii anno reparatae mortalium ſalutis CIↃ IↃ CC LVI.

---

p. 5. not. leg. *ed. Gronouiorum.* p. 6. not. leg. *quaedam.* p. 7. leg. *tibicinem.* p. 8. leg. *ludiones.* Reliqua operarum vitia lect. ben. in malam partem haud interpretabitur.

121. 13

4.106

Digitized by Google

GIUSEPPE MASI
RESTAURATORE
FIRENZE

Digitized by Google